Bougot, Auguste
De morum indole in Virgilii Aeneide

DE

MORUM INDOLE

IN

VIRGILII AENEIDE

AN VIRGILIUS IN AENEIDE MORES HEROICOS
FIDELITER EXPRESSERIT?

A. BOUGOT

PARISIIS

E TYPIS L. LAHURE

VIA DICTA DE FLEURUS, 9

—

1876

DE

MORUM INDOLE

IN

VIRGILII AENEIDE

PARISIIS. — E TYPIS L. LAHURE
Via dicta de Fleurus, 9

DE

MORUM INDOLE

IN

VIRGILII AENEIDE

AN VIRGILIUS IN AENEIDE MORES HEROICOS FIDELITER EXPRESSERIT?

A. BOUGOT

PARISIIS

E TYPIS L. LAHURE

VIA DICTA DE FLEURUS, 9

—

1876

DE

MORUM INDOLE

IN VIRGILII AENEIDE

Non unius de racemis vindemiam sibi fecit.
(MACROBIUS, *Saturn.* V, c. XVII.)

An Virgilius in Aeneide mores heroicos fideliter expresserit?

I

Quum Virgilius carminis sui argumentum ab heroicis temporibus repetiverit, quaesitum est non semel utrum poeta heroicos mores fideliter expresserit necne. Qua de re plures videmus exstitisse sententias; quidam enim heroici aevi ingenium in Aeneide ubique servatum, nullo in loco mores, quales Homerus finxerit non repraesentatos fuisse contendunt : inter quos praesto est referre Tittmannum[1] qui libellum de Virgilio Homerum imitante edidit, et, e recentioribus magnae lectionis virum

1. Tittmann, *De Virgilio Homerum imitante*, Wittemberg, 1787.

Eickhof[1], qui, dum in tribus libris furta Virgilii, excussa poetarum, tum epicorum, tum lyricorum farragine, persequitur, dubitare non videtur quin pleraque in Aeneide et Graeca sint et ad antiquitatis homericae speciem praesertim adumbrata. Novam tamen hanc opinionem ac paene hesternam recte affirmaveris, si ad veteres te referas, quicumque vel poetae vel grammatici vel interpretes aut de Aeneide raptim et quasi aliud agentes locuti sunt, aut in carmine explicando elaboraverunt.

Ut exempla quaedam afferam, operae pretium est audire A. Gellium de dierum temporibus et finibus, de vestibulo, de bidentibus disputantem. Et enim quum vult ostendere apud populum romanum dies singulos a media nocte usque ad mediam noctem proximam adnumerari, laudato M. Varrone et Q. Mucio jurisconsulto, variis quoque argumentis e religione atque e jure civili petitis, ad Virgilium ita provocat : « Isthaec autem omnia de dierum temporibus et finibus ad observationem disciplinamque juris antiqui pertinentia cum in libris veterum inveniremus, non dubitabamus, quin Virgilius quoque id ipsum ostenderit, non exposite atque aperte, sed, ut hominem decuit, poeticas res agentem, recondita et quasi operta veteris ritus significatione :

> *Torquet*, inquit, *medios Nox humida cursus*
> *Et me saevus equis Oriens afflavit anhelis.*
> (*Aen.* V, 738.)

His enim versibus oblique, sicuti dixi, admonere voluit, *diem*, quem Romani *civilem* appellaverunt,

1. Eickhof, *Études grecq. sur Virg.*, 3 vol., 1825.

a sexta noctis hora oriri[1] ». *Vestibulum* autem postquam locum ante januam domus vacuam ita recte dici disseruit, improprie autem et indocte partem domus propriam, atrium scilicet, hoc nomine vocari, Virgilii locum ceteris argumentis adscribit

> Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
> Luctus et ultrices posuere cubilia curae. (*Aen.* VI, 273.)

« Non enim vestibulum, inquit, priorem partem domus infernae esse dicit; quod obrepere potest, tanquam si ita dicatur; sed loca duo demonstrat extra Orci fores, vestibulum et fauces : ex quibus et vestibulum appellat ante ipsam quasi domum et ante ipsa Orci penetralia; fauces autem vocat iter angustum, per quod ad vestibulum adiretur[2] ». Romanum igitur vestibulum, et id quidem quod ita a majoribus et doctissimis viris dici solitum erat, non πρόθυρον illud Graecum, aditum Orci quemlibet, A. Gellius a poeta significari putat. Jam, cum quaerit idem scriptor cur oves *bidentes* a Vir-

1. A. Gellius, L. III, c. II, ed. Lion, p. 275. — Idem fere legas apud Servium qui Ciceronem in *Auguralibus* et Aulum Gellium ipsum laudat. (Comment. in V. Serviani, V, 758, edit. Lion.)

2. A. Gellius, l. XVI, c. VI, ed. Lion, 363. Quod ad versus Virgilianos attinet : « *Torquet.... etc.* », subtilius videtur Gellius disputare. Sexta quidem noctis hora potest significari, ab ea autem diem civilem oriri nihil demonstrat. Contra lucis ortus, non diei civilis initium verbis indicatur : « *Et me saevus equis Oriens....* »; lux autem aestate (et revera in aestate tum versari videmur) sextae noctis horae propior, praesertim a poeta, dici potest. — Quid autem Virgilius per vestibulum voluerit intelligi, nullo modo ex ipsis versibus patet : vetere et ut videtur obsoleta verbi significatione Gellii disputatio tantum nititur.

gilio dicantur [1], Nigidium qui librum de *Extis* composuerat et Higinum Julium « qui *jus pontificium* non videtur ignorasse » et « commentarios quosdam ad jus pontificium pertinentes » consulit : adeo vocabulum ex ipsis religionis romanae penetralibus erutum censet.

Macrobius vero, qui, ut notum est omnibus, in Saturnalibus amicos de Virgilio disputantes inducit, non aliam Aeneidi legendae atque explicandae mentem attulit [2] : « *Equidem* inquit unus e convivis, Vettius, inter omnia quibus eminet laus Maronis hoc assiduus lector ammiror quia doctissime *jus pontificium,* tanquam hoc professus, in multa et varia operis sui arte servavit, et si tantae dissertationi sermo non cesserit, promitto fore ut Virgilius noster *pontifex maximus* adseratur ». Flavianus autem non solum Vettio non contradicit, sed doctrinam quoque alteram, et eam quidem omnino romanam in Aeneide contineri contendit : « Apud poetam nostrum, inquit, *tantam scientiam juris auguralis* invenio ut si aliarum disciplinarum doctrina destitueretur, haec illum vel sola professio sublimaret ». Eustathius se disputaturum profitetur de Virgilii *astrologia et philosophia* quam poeta « parcus et sobrius operi suo nusquam reprehendendus aspersit ». Quum vero astrologia rudis adhuc homerico tempore esset, nec

1. Ibid., l. XVI, c. VI. — Nolimus hanc nostram disputationem ita accipi quasi plane Gellio assentiamur : hoc tantum monitum volumus Romanis adeo *Latinam* videri Aeneidem ut, si quid disputarent de priscis Romae consuetudinibus, ab ea argumenta peterent ; fieri autem posse ut Virgilius graecisset aut vulgi more loquatur, nullo modo suspicantur.

2. Macrob., *Saturn.*, I, 24, ed. Jahn, II, p. 212.

ulla sit philosophia quae heroica jure dici possit, apparet Eustathium astrologiam illam et philosophiam in animo habuisse quae apud Romanos vigebat florebatque. Macrobius ipse, quum jam ore alieno non loquitur ac personam agit propriam, nullam non doctrinam Virgilio concedit. « Videtur ne vobis probatum, inquit, sine divini et humani juris scientia non posse profunditatem Maronis intelligi[1]? « Adversatur quidem huic laudationi unus e Macrobii convivis, Evangelius, qui quum non minore quam alii admiratione Virgilium prosequatur, negat tamen poetam esse augurem, esse pontificem, et contendit eum aliquando ne ea quidem nota habere quae aedituus templorum quivis optime calleat. Sed refellitur facetus homo vi ac copia argumentorum quae ceteris convivis ad laudem Virgilianae doctrinae tuendam memoria praesens facilisque suppeditat. Illud tamen non praetereundum esse videtur quod Macrobius, dum Romanas consuetudines a Marone servatas fuisse evincit, animadvertit quoque poetam in ceterorum populorum moribus tangendis non minus cautum fuisse ac fidelem[2].

In Saturnalibus Macrobii suae quoque partes Servio cuidam mandantur qui « juxta doctrinam mirabilis et amabilis verecundia » fertur fuisse. Utrum hic ille sit Servius Virgilii interpres cujus commentarii, corrupti quidem ac saepius plus justo aucti, ad nos pervenerint, an plane alius, magna inter nostri aevi doctissimos viros lis exorta est; constat vero, si duo fuerint, hunc et illum in eadem sententia

1. *Saturn.* III, 9, ed. Jahn, 237.
2. *Ibid.*, III, 6.

qua Vettium ac Flavianum fuisse. Etenim qui apud nos Maurus sive Marius Servius Honoratus dicitur, nihil antiquius in commentario habere videtur quam ut Maronem rerum priscarum studiosissimum esse probet; adeo etiam multa e Romana historia eruit, ut nullus fortasse scriptor ad cognoscendos ac penitus perspiciendos Romanorum mores nostris hominibus magis profuerit. Nempe, dum poetae reconditam doctrinam explicat atque in medium profert, nos ea docet quae homines tanto temporum intervallo sejunctos perpetuo fugerent. Audacia quidem nimia ac majore, ut videtur, subtilitate usus est Servius; ut exempla adhibeam quum in secundo Aeneidis Simo, homo graecus qui se Palamedi ad Trojam obsidendam proficiscenti applicaverat, coram Priamo circumfusis Trojanis, exclamat :

> Fas mihi Graiorum sacrata resolvere jura[1],

contendit grammaticus de sacramento agi ad quod Romani milites antequam conscriberentur, adigi solerent, ita ut vir ille « dolis instructus et arte *Pelasga* » neque inter evocatos aut tumultuarios milites, qui ad tempus tantum militarent, sed inter justo sacramento rogatos, qui plena militia functuri essent, sit annumerandus. Quoties vero Aenean *flaminem dialem* vult haberi ! Nempe nefas est Flaminem vestem induere quae non sit lanea, et ab uxore texta non fuerit; Virgilius autem dixit :

> Tyrioque ardebat murice laena
> Demissa ex humeris, dives quae munera Dido
> Fecerat[2].

1. *Aen.* II, 157.
2. *Aen.* IV, 262.

Flamini Diali non licet nisi per confarreationem uxorem ducere. Quare habemus in Virgilio :

Dotalesque tuae Tyrios permittere dextrae[1].

« Quid est enim aliud *permittere dextrae* quam in manum convenire? quae conventio eo ritu perficitur ut aqua et igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur quae res ad farreatas nuptias pertinet quibus Flaminem et Flaminicam Jure pontificio in matrimonium necesse est convenire[2] ». Flamen Dialis *secespita,* id est cultri genere acutissimo, manubrium pretiosum habenti utebatur; nimirum ille ensis quem gestat Aeneas pro secespita est accipiendus. Nec illud Servium turbat quod « stellatus iaspide fulva » gladius dicitur; poeta scilicet haec verba « ideo intulit, ne totus a rege discedere videretur cui propositum est, veterum ceremoniarum ritum, aliud agens contingere ». Multa de genere hoc : quae ut paulo argutiora videbuntur, saltem ostendunt Romanos in Aeneide Virgilii non tantum origines suae gentis, sed etiam suorum morum imaginem, alias vividiorem, alias minus aperte expressam requisivisse et quaesitam invenisse. Non est igitur quod mireris carmen Virgilii aliquando appellatum fuisse non Aeneidem, sed *Gesta populi Romani*[3], quamvis, ut ait Servius, nomen non a parte, sed a toto debeat dari : etenim pars illa et Romanis et Servio ipsi multo minor videbatur qua vita populi Romani non exhiberetur.

1. *Id.*, 104.
2. *Id.*, 261.
3. Servius, *ad Aen.* VI, 752.

Quid medii aevi scriptores de Aeneide senserint non est valde laborandum. Etenim Virgilius non jam romanus, neque graecus, neque imitator Homeri neque etiam poeta habebatur, sed incantatoris et magicarum artium artificis famam ipsos inter cleros ferebat[1].

Sed ubi primum lux illa renascentium litterarum Europam illustravit, Virgilio, tenebris repente discussis, sua vera facies atque indoles, ut ita dicam, reddita est; et poetis jam annumeratus maximis, imo habitus maximus, coepit cum undique emergente librorum antiquorum, tum historiarum, tum carminum, copia ac varietate comparari. Inde J. Scaliger Virgilium existimavit « sui temporis historias ingenio veterum historiarum aptare. » Non est quod te taedeat virum doctissimum audire de hac re disserentem[2] : « Venulum ex equo detractum scribit a Tarchonte atque cursu ablatum. Idem sibi evenisse ait Caesar in Ephemeride quemadmodum Servius memoriae prodidit[3]. Aeneas dextra nuda jubet a caede abstinere : idem Caesar Pharsalico in conflictu atque illis verbis : « parcite civibus »; sic

1. Daunou, *Hist. sur l'état des lettres au* XIIIe *s.*, p. 249 : Au rapport d'Helinand et de Gervais de Tilbury, Virgile passait pour un grand maître en magie ou sorcellerie, et n'avait pas d'autre réputation parmi les clercs, du moins si l'on en excepte le petit nombre de ceux qui avaient conservé quelque goût ou quelque souvenir des bonnes études. Cf. Comparetti, *Virgilio nel medio evo*, parte seconda, p. 82, seq.

2. *Poet.* III, c. 26.

3. *Ad Aen.* XI, 743.... Quam vero dispari exitu Caesar et Venulus! Vix fidem faciunt Scaliger et Servius hanc rem ab historia Romana potissimum ductam fuisse, quum ejusmodi sit ut saepius tota antiquitate evenire potuerit.

et mores cum repraesentat, veluti ad Fauni oracula : et bellis indicendis, « vina coronant ». « Nautae puppibus imposuere coronas ». Dido in convivio libat hospiti Jovi, non bibit : mos feminarum Romanarum. Mos operiendi caput in sacris. Aras tenendi, sacrificandi Herculi extra muros[1]; quia fuit paene semper peregrinus. Helenus vittas resolvit sacrati capitis vaticinaturus[2] ». Haec vero sententia tantam vim tum apud doctos habuit, tam vulgata est, omnium animis tam penitus insita, ut ii ipsi qui de variis Romae antiquitatibus libellos scribebant, auctoritate Virgiliana quaecumque e monumentis manu factis aut e libris petiverant, firmare non dubitarent. Satis erit, exempli gratia, Brissonium nominare, qui in opere celeberrimo, *De formulis et solemnibus populi romani verbis*, Virgilii testimonio, tanquam jureconsulti cujusdam aut historici, ad fidem lectori faciendam utitur; quo abstinere certe debuerat si Virgilium in Homericis moribus describendis tantummodo attentum fuisse atque occupatum credidisset.

Quum ad tempora nostra propius accedimus, videmus interpretes plerosque inter Tittmannum et antiquos scriptores medium quasi aliquid quaerere; etenim hinc in Aeneide tam clara luce antiquitatis romanae species praefulget ut qui eam non aspiciat, recte hebescere aut etiam oculis capi diceretur; illinc autem, quum materia Aeneidis tota ab he-

1. Nescio quem auctorem secutus fuerit Scaliger; haec enim sola habet Servius *ad Aen.* VIII, 104 « ante urbem secundum antiquum situm. Tunc enim brevis civitas fuerat.»

2. Servius ad III, 370 : « Bene ergo Helenus cuncta corporis solvit; ne qua parte animo religato ad numen accedat ». Hoc vero Romanis peculiare fuisse scriptor Romanarum rerum indagator atque auceps non animadvertit.

roico aevo desumpta esset, videbatur abhorrens atque absurdum Virgilium ad heroicos mores nusquam respexisse. Inde nata est haec opinio Virgilium quidem a veritate descivisse, at non ita descivisse ut universus heroicorum temporum color mutaretur. Quam imprimis tuentur Heynius ac Wagnerus; quid senserint verba subjecta satis declarant[1]: «Non raro Virgilius in Aeneide ea tribuit heroicis temporibus quae ab iis aliena posterius inventa aut instituta sunt; omninoque sermonem Romanum saepe accommodavit personis ab illo vel maxime abhorrentibus. Multa ex his superiores interpretes, Heynius maxime, notaverunt; adjeci quaedam alia. Sed qui Aeneidem vel cursim legerit, facile haec augeri posse intelliget. Exemta tamen inde velim ea, quorum originem refert ad ipsa Aeneae tempora ». Quibus lectis, apparet Wagnerum ita censuisse Homerica pleraque esse apud Virgilium, multa autem ad Romanos usus esse referenda.

Eo quum certamen adductum fuisset, Lerschius, spreto Tittmanno, cujus, ut recte ait, jampridem explosa est sententia, Wagnero et Heynio, quasi timidioribus, derelictis, tertiam iniit explicandi rationem, illam scilicet, qua *quis statuat Virgilium per Aeneidem non tantum in quibusdam, sed in omnibus a vero heroicorum temporum habitu recessisse, et posteriorem, id est, Romanam harum rerum rationem observasse.* Quam sententiam ut exemplis argumentisque fulciret Lerschius duos libellos edidit, quorum alter inscribitur, *De Morum in Aeneide habitu*, alter, *Antiquitates Vergilianae ad vitam po-*

1. Wagner, l. IV, p. 588. Cf. Lersch., *D. M. habitu*, p. 3.

puli Romani descriptae. Uterque libellus, ut ad eamdem rationem fere digestus est, ita quoque eamdem mentem prae se fert. Haec est, ipsis Lerschii verbis, prioris summa[1] : « Ordientes ab eo quod apud veteres summum erat, ostendere conati sumus, rei- « publicae formam quae in Aeneide appareat, ab « Homero diversam et e Romanorum institutis ex- « plicandam esse. Quod firmavimus adjicientes « quasdam notiones juris privati. In sequenti deinde « parte clarius jam et dilucidius vidimus, ea quoque, « quae ad rem militarem pertineant, e Romanorum « moribus deprompta. De navibus addidimus non- « nulla, quae illam nobis firmare videbantur senten- « tiam. In tertia tum parte magna admodum rituum « sacrorum e Roma petitorum copia nobis affluxit; « tantumque abfuit ut anxie hos ex Aeneide erue- « remus, ut cura nos quaedam tangeret, quomodo « rerum illarum varietatem apte disponeremus et « eloqueremur. Ipsa illa, quae de funeribus sub- « junxeramus latius fusa, coarctavimus et ad pauca « revocavimus momenta. Quartam denique partem « fecimus e vita domestica mores quosdam deli- « bantes, probe tamen intelligentes hanc praecipue « augeri et ampliari posse. Quum vero republica, « disciplina militari, religione, vitaque domestica « omnes quotquot sunt, quasque poeta aliquis potest « respicere, vitae rationes comprehendantur haeque « autem omnes per integram Aeneidem ad Romanos « mores sint adumbratae : necessaria consecutione « efficitur, *totum hoc carmen Romano tantum morum habitu ornatum esse* ».

1. *De Morum in Virgilii Aeneide habitu*, p. 110.

Castigandus est primum, ut videtur, rerum ordo ac dispositio; etenim dum Lerschius singu'a quae ad rem publicam, ad religionem, ad vitam privatam pertinent, persequitur ac colligit, poeta in membra discerpitur, et in discerpendo interpres vix se cum poeta rem habere meminit. Deinde quum attente, sin minus anxie, omnia quae proposito favent quasi in unum fascem religat, si qua noceant aut minus sint consentanea, quasi inscius praeterit. Quanto sapientior Heynius, quum interpretes, Homerum cum Virgilio solitos comparare, admoneret ne locum cum loco quodam, versum cum versu conferre vellent, sed partes Aeneidis satis amplas ex ordine explicarent[1]. Quod consilium ea mente ab Heynio datum ne quis Homerum Virgilio, aut rursus Virgilium Homero, trutina non aequa usus, anteponeret, repetere jure possis ne quis heroicam vitam apud Virgilium moribus Romanis, aut rursus mores Romanos heroicae vitae ampliorem locum putet concessisse!

Hoc tamen inter duos Lerschii libros interest ut prior, quum sit minus fusus atque copiosus, modum quemdam servet, aut certe ad subtilitatem nimiam confugere non videatur; alter autem, quum non jam disputatio brevior, sed tractatus omnibus numeris absolutus velit haberi, fines illos

Quos intra citraque nequit consistere rectum,

aliquando excedat ac transgrediatur. Doctrinae ipsius copia — et se doctiorem in posteriore factum fuisse ipse Lerschius praedicat, — scriptor saepissime fal-

1. Cf. Sainte-Beuve, *Études sur Virgile*, p. 232.

litur. Dum scripta historicorum evolvit, reliquias librorum Catonis aut Varronis excutit, si qua restant ex indigitamentis pontificum eruit, titulos atque inscriptiones perlegit, nihil est in Aeneide quod ei Latino colore infectum non videatur, nihil est quod non conjunctum cum aliqua Romanorum recondita aut exoleta consuetudine asserat. Sed de illo quod nimium est apud Lerschium postea disputabimus; nunc quid recte atque acute ad antiquitates Romanas, non Homericas revocandum Lerschius viderit, libet jam ostendere.

II

Jam primum ut « ab illa praepotente et gloriosa philosophia » incipiam, nulla apud Homerum deprehendenda est, aut certe adeo incerta est atque fabulis commixta ut opiniones tantum, non doctrinam in Iliade atque Odyssea inveniri jure diceres. De Virgilio non item. Jam quod animas putat posse per se vivere atque igneae naturae participes esse, a veteribus philosophis poetisque certe recedit de quibus in *Tusculanis quaestionibus* Cicero : « Animas per se viventes non poterant mente complecti; formam aliquam figuramque quaerebant. Inde Homeri tota νεκυία : has tamen imagines loqui volunt quod fieri nec sine lingua nec sine faucium et pulmonum vi et figura potest[1] ». Haec autem piacula quibus

1. *Tusc.* I, c. XVI.

animi labem inveteratam exuunt[1], hic in terram reditus, haec παλιγγενεσία tum ad Pythagorae disciplinas tum ad Platonis libros videntur nos revocare. Stoicorum vero, ut non fortasse sectam amplectitur, ita verba usurpat poeta quum motus animorum quattuor numero esse hoc versu indicat :

Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque[2].

Horum etiam meram, ut videtur, de deo mundano doctrinam hic locus exhibet notissimus[3] : *Principio coelum ac terras....* ubi etiam igneus seminum vigor, vis scilicet ignea ad quam omnia stoici solebant referre, a poeta commemoratur[4]. Nescio quidem, an Lerschius modum excesserit, quum comparatis inter se plurimis Eclogarum Georgicorum atque Aeneidis versibus, haec addiderit : « Quae singula hic prolata, quum in unam quasi imaginem colligere malueris, neque Platonicum neque Pythagoreum Epicureumve, neque ut Horatium ecclecticum poetam nostrum invenies, sed quoad poetae licitum, Stoicae doctrinae sectatorem[5] ».

1. *Aen.* VI, 735-751. Plat., *Rep.* 615 A.

2. Lerschius ad Diogenem Laertium, VII, 110 provocat,

3. Diog. Laert., VII, 134, ubi, ὕλη, *moli* Vergilianae, λόγος *menti*, ὁ θεός *deo*, ὁ ὅλος κόσμος ζῷον *spiritui*, ὁ αἰθὴρ *haustibus ætheriis* videtur respondere.

4. Plutarch., *Plat. ph.* I, 7. — Cicero, *Acad.* II, 41, *N. D.* I, 14; III, 14.

5. Ut vere dicam, haec varia philosophorum placita, inter se aliquando pugnantia, quasi loci communes erant facta, quos oratores et poetae antiqui suo quisque pro ingenio amplificabant. Purgatio animarum jam Ciceroni, ut e somnio Scipionis videre est, arriserat. Quam doctrinam

At certe demonstravit poetam Romanum plurimum ab Homero differre qui neque Stoicus neque Epicureus neque Pythagoreus, neque Platonicus, neque omnino cujusdam doctrinae sectator cum quadam veritatis specie dici possit. Frustra igitur Aeneae et ejus comitibus nemo sapientium, qui tum nati non erant, auditus est; poeta, qui omnes audiit, sapientiam suam cum iis communicat; praematuri igitur homines ea videntur scire quae nemo tum excogitaverat, nemo excogitata alios tum edocebat; ex illitteratis docti, ex insanis, ut verbo Stoicorum utar, sapientes poetae beneficio sunt facti.

De fato quid senserit Virgilius si quaeres, invenies quoque Romanum poetam Homeri vestigia deseruise. « Gravius illud, inquit Lerschius, quod quum omne carmen Homericum deorum voluntate, summis praesertim jussu monitisque nitatur, vita et actio omnis a Jove semper vigente proficiscatur, Romanus poeta per integram Aeneidem potestatem quamdam caecam omnia agentem, moventem diffuderit ». Videbimus postea an in Virgilio quaedam Homerica fati doctrina deprehendatur; sed quod ad universum attinet non videtur Lerschius errare; apud Virgilium fatum majore vi hominibus incumbit; volentes ducit, cunctantes repugnantesve trahit vehementius; libertatem quae olim fere tota mortalibus relinquebatur angustioribus terminis circum-

a Virgilio illustratam Claudianus repetiit (*R. P.* I, 57). Quod ad animorum affectus attinet, Servius, locum studens explicare, Stoicos silentio praeterit : « Varro, inquit, et *omnes philosophi* dicunt, quattuor esse passiones... ». Adeo illae doctrinae non jam ad sectam quamdam definitam vulgo referebantur.

scripsit; latet apud Homerum; apud Virgilium fere semper in actu est; quasi e vitae postscenio in ipsum pulpitum videtur irrupisse, primas partes sibi deposcens occupansque. Consentit hic cum Lerschio Dietsch, qui postquam de fato Virgiliano disputavit, haec addit : « In his quam multa obscura atque inter se repugnantia sint, quivis intelligit, sed illud animadvertendum id quod ratio postulat ut sit aliquid aeternum, unum atque immutabile, quo omnia regantur magis ab Virgilio perspectum fuisse quam ab Homero [1] ». Ac ne forte putes hanc opinionem trans Rhenum tantummodo vigere, praesto sit aliquem e nostris hominibus nominare qui eam solita dicendi elegantia illustraverit [2]. Quos scriptores ideo protulimus ut ostenderemus Lerschii sententiam de fato Virgiliano consensu virorum doctorum jam extra controversiam fuisse positam. Constat autem apud Romanos fata haberi aeternas leges ferreasque quibus et res et homines et dii ipsi ita devinciuntur ut nulla imperii illius servitutisque fuga esse possit; deos autem ideo dominos rerum hominumque dici quia in mundo easdem fere partes quas in civitate magistratus tueantur. Quam doc-

1. Dietsch, *Theologoumena Virgiliana.*

2. Boissier, *la Religion romaine*, I, p. 274 : « Ce fond de fatalité chez Homère semble rester obscur et lointain. Il s'en échappe par moments des reflets sinistres qui assombrissent l'action : heureusement ce ne sont que des éclairs, et sur le premier plan se développe librement l'activité de ses personnages livrés sans arrière-pensée à la fièvre de la vie, et oubliant dans les passions du présent les menaces de l'avenir. Énée, au contraire, est tout à fait sous la main des Dieux, et tient toujours les yeux fixés sur cette force supérieure qui le mène ».

trinam secutus est Virgilius, deserta Graecorum atque Homeri opinione[1].

Penates ac *Lares* vere Romanos esse nec Lerschius primus vidit nec quisquam contra sensit. Non solum hujus cultus ne ulla quidem vestigia apud Homerum invenias, sed nec in Graecis; ex Italia oriundi sunt. Fuere quidem in Graecia Θεοὶ πατρῷοι, γενέθλιοι, κτήσιοι, μύχιοι, ἕρκειοι, iisdem fere partibus quibus Penates Laresque in Italia fungentes, quum ducerentur et domos a maleficis et bona ab omni detrimento et dominos a rebus adversis tutari; verum illa numina non ab iis diversa erant quae in templis publice colebantur; vocabula tantum ad nomen addita mutantur, nomen ipsum manet. Exempli gratia, deus ille tutorius ac propugnator ad cujus aram, in media aula sitam, supplices apud Homerum confugere solent, qui ἕρκειος audit, non alius est atque Jupiter; a tutela domus atque septi venit cognomen. Penates vero Laresve nec pro Jove nec pro deo alio quolibet in carmen inducuntur[2];

1. Quid Lerschius cum judicio senserit, hic tantum anquirimus; sed non negligenda est quoque hoc loco Macrobii auctoritas : *Sat.* V, c. xv : « In nonnullis ab Homerica secta, haud scio casune an sponte, descissit. *Fortunam* Homerus nescire maluit, et soli Deo quem Μοῖραν vocat omnia regenda committit; adde ut hoc vocabulum τύχη in nulla parte Homerici voluminis nominetur. Contra Virgilius non solum novit et memorat, sed omnipotentiam quoque eidem tribuit; quam et philosophi qui eam nominent nihil sua vi posse, sed decreti sive providentiae ministram esse voluerunt. »

2. Nec illud nos turbare debet quod Nigidius et Cornelius Labeo *Penates* Neptunum esse atque Apollinem prodiderunt (Arnob., III, 40; Macrob., III, 4); quod nonnulli, ut refert Servius, *ad Aen.* II, 296, eos Jovem, Junonem, Mi-

suum illis est numen, sua persona; Penates quidem naturae divinae magis participes, Lares humanae, utrique vero Geniis illis annumerandi quos superstitio Italica excogitaverat. Quare non est quod mireris Penates Laresque cum igne sacro apud Virgilium semper conjungi, eorum aras in atrio positas esse atque flammis adoleri, Aenean, si quando precibus eos veneretur, ad focum libare, quum nullus dicatur ignis in Jovis Hercei ara accensus fuisse : Latina sunt haec omnia, et Dii et sacrorum ritus; religionem Italicam complectitur Aeneas, nedum suam importet[1].

Veniamus nunc, Lerschio praeeunte, ad singulos Deos. *Jovi Anxuro*[2] occurrimus, quem Homerus et Graeci omnino ignoraverunt. Juno non tantum Argiva, Samia, sed *Gabina* audit[3]; quod cognomen

nervam, deos scilicet per quos spiramus et corpus habemus et animi rationes possidemus, esse dixerunt. Haec posterius ficta a doctis hominibus videntur fuisse qui res externas cum Italicis miscere contendebant, nec fieri posse credebant, ut dii qui Magni audirent, non iidem essent qui apud Graecos summis honoribus colerentur. — Ipsum Penatum nomen originem Italicam prodit, sive ab eo ducas quod penitus insident, sive, ut potius videtur (Preller, *Römische Mythologie*, 1858, 533, Cic *N. D.* II, 27, 67) quum penus sit omne quo vescuntur homines. Cf. quoque Preller, *ibid.*, p. 72, 536.

1. Cf. Hartung, *Relig. der Römer*, I, 82. — Lacroix, *La religion romaine d'après les Fastes d'Ovide*, p. 122 et seq. Mommsen, *Hist. rom.*, p 223. — Klausen, *Aeneas und die Penaten*, passim, praecipue II, 621, 635.

2. *Aen.* VII, 799. Hunc Jovem Anxurum a Vejove recte distinguit Lerschius, allatis Ovidii (*Fast.* III, 437) et Gellii (V, 12) locis.

3. *Aen.* VII, 682 : « Templum Junonis Gabinae vide in Visconti monumenti Gabini della villa Pinciana ». Roma,

propter templum in Italia summo honore cultum deae inditum est. Dicitur et *pronuba* quae appellatio saltem Romana est, quamvis non obliviscendum sit Ἥραν apud Graecos conubiis[1] quoque praesedisse. Dubitari sane potest an *Feronia* eadem sit quae Juno virgo[2]; deam vero sub hoc nomine latere italicam nemo infitias ibit. Apollinis vero duo praesertim cognomina, ut verbis Lerschii utar, Romanam spirant mentem, qui *Actius* vocatur[3] et *sancti custos Soractis*[4]. Jam cultum dei, quum totus Graecus sit, tamen ab Virgilio talem effingi qualis a Romanis est institutus, jure cum Lerschio affirmaveris. *Ludos Apollinares* DXLI annis post U. C. primum datos, *templum* e marmore in palatio ab Augusto aedificatum, *libros Sibyllinos* iterum perscriptos atque editos, iisque servandis *collegium* ab eodem principe auctum, Virgilius quum memorat aut legentes meminisse cogit[5], sane in antiquitate Romana versamur. Jam *Gradivus* pater a Marte Graeco distinguendus est, sive cum pro Marte pedite, ut quidam

1797 (Sculpture della villa Borghese, vol. III, Tab. A). Lersch.

1. Verbum hoc ita scribendum esse *diplomata militaria* demonstrant.

2. Lerschius : «Feronia, Servio teste Juno, virgo, neque est quod grammaticum errasse contendamus». At ipse Servius ad *Aen.* VIII, 564 : «Feronia mater, *nympha Campaniae....* haec etiam libertorum dea est... ». Pro quadam florum ac libertorum dea eam habet Preller. Cui sententiae non videtur adversari locus Dion. Halic., III, 32, a Lerschio tamen laudatus : Ἱερόν ἐστι.... θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης, ἣν οἱ μεταφράζοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν οἱ μὲν Ἀνθήφορον, οἱ δὲ Φιλοστέφανον, οἱ δὲ Φερσεφόνην καλοῦσιν.

3. *Aen.* VIII, 704.

4. XI, 785.

5. VI, 69.

volunt[1], habeas, sive, ut potius videtur[2], pro eo per quem veteres Italiae populi fruges crescere et ad *grandem* segetem pervenire putabant. Assentiendum est quoque Lerschio de Venere haec dicenti : « Nescio an illud *genitricis* nomen quod frequentius legitur, quamvis proprie per Aeneidem ad filium referatur, Romanam illam Venerem genitricem, in inscriptionibus numisque obviam, spectet. » Praeterea templum ab Aceste *Veneri Erycinae* fundatum cur excogitavit poeta[3] nisi voluit ad aedem quam Q. Fabius Maximus deae eidem iisdem in locis vovit, alludere[4]? *Vestam* autem quam Hector manibus effert[5], quae saepius una cum Penatibus vel Lare nominatur[6] eamdem esse « quae Tuscum Tiberim et Romana palatia *servat*[7] » nemo non videt. Jam vero *Sabinus vitisator*[8], *Italus*, *Saturnus aureus*, *senex*, *Janus bifrons*[9], custos templi Martii[10], *Picus*, *lituo quirinali* et *trabea* conspicuus, *ancile* gerens[11], *Faunus*, uxor *Maricae*, retinent nomina et insignia et munera ipsa quae a Romana vel Italica religione acceperant. *Tiberis* vero non tantum Tiberinus no-

1. Preller, *Römische Mythologie*, 1858, p. 308. Cf. Paul., p. 97. Gradivus Mars appellatus est a gradiendo in bello ultro citroque. Serv., *ad A.* III, 35.
2. M. Bréal, *Tables Eugubines*.
3. *Aen.* V, 759.
4. Cf. Liv. XXII, 10.
5 II, 296.
6. V, 744; IX, 258.
7. *G.* IV, 498.
8. *Aen.* VII, 179.
9. VII, 180.
10. 610.
11. VII, 187.

minatur[1], quod verbum solemne erat, sed formula ex indigitamentis repetita invocatur[2]. Nec silentio praetereundae sunt *Nymphae Laurentes*[3] e quibus uni, *Juturnae* scilicet, ut suum in campo templum a Lutatio Catulo conditum, suae feriae in Urbe erant[4], ita suae in Virgilii Aeneide partes haud levis momenti datae sunt. *Tempestates* autem, quibus Aeneas sacrificat, deas apud Romanos habitas fuisse tum scripta, tum tituli plurimi testantur[5].

Hinc ad templa, silvas arboresque sacras progreditur Lerschius. Cui sane consentiendum est inter Italicas antiquitates *adytum Sibyllae*[6], patriumque regis Latini fanum[7] reponenti. Jam vero lucus Feroniae semper virens[8], nemus in Capitolio numine

1. VIII, 31.

2. Serv. *ad Aen.* VIII, 72 : « Sic enim invocatur in precibus : adesto Tiberine cum tuis undis ». Unde Virgilius :

> Tuque, o Thybri, *tuo genitor cum flumine sancto.*
> (VIII, 72.)

3. *Aen.* VIII, 71.

4. Cf. Serv., *ad Aen.* 12, 139.

5. Cf. Ov., *Fast.* VI, 193. — *Corp. Insc. Lat.* Berol. 1862. Fr. Ritschl, p. 33, tab. XXXVIII. L. Renier, *Inscript. de l'Algérie*, n° 6 :

IOVI . O . M .
TEMPESTATIUM
DIVINARVM
POTENTI
LEG III AVG
DEDICANTE
Q FABIO CATVLLINO
LEG AVG PR PR

6. *Aen.* VI, 98.

7. VII, 269.

8. VII, 800. — Serv. : « Non vacat quod addidit viridi : Nam cum aliquando hujus fontis lucus fortuito arsisset incendio et vellent incolae exinde transferre simulacra, subito

incerti dei plenum[1], tum Luci Triviae, Ditis et Proserpinae[2], Silvani prope Caeritis amnem[3], Pilumni[4], Herculis[5], Nymphae alicujus vel Cereris circum Simaethia flumina[6], Fauni sub alta Albunea[7], Faunorum Nympharumque in Romana arce[8], lucus a Romulo asylus factus[9], Fauno dicata arbor[10], laurus a Latino sacrata[11] nos intra Italiam detinent et ad perantiquam ejus regionis historiam aut fabulas animum cogunt attendere. Aras *Diis Manibus* structas quum Virgilius memorat[12], cuivis in mentem veniunt tot Romanorum sepulcrorum monumenta *Diis Manibus* inscripta. Nec desunt sacerdotes vere Romani, *quindecimviri* scilicet *librorum servandorum*, *Salii*, *Luperci*, *Potitii*, *Pinarii*[13], Triviae Virbius[14], augures[15]. Quum quaedam numina ab Italia vere oriunda sint, necesse est ut hostiae iis immolatae ritu quoque Italico aut Romano praescriptae fuerint: hinc oves Fauno mactatas habes[16], agnas Tempesta-

reviruit ». — At si Feronia revera florum dea est, non mirum eam effecisse ut suus lucus perpetuo vireret.

1. VIII, 351.
2. VI, 256, 269.
3. VII, 597.
4. IX, 3.
5. VIII, 104.
6. IX, 584.
7. VII, 82.
8. VIII, 314.
9. VIII, 342.
10. XII, 766.
11. XII, 766.
12. III, 63; V, 48.
13. VII, 71; VIII, 285, 663, 2[illegible].
14. VII, 575.
15. IX, 327; XII, 258, 460
16. VII, 93.

tibus[1]. Quaedam et instrumenta sacra a pontificali Romanorum supellectili unice deprompta jure putes, ut *pateras*, *lituum* Pico et Quirino datum, *apicem* illum a Flaminibus geri solitum pileum. Quod ad sacrificandi ritus pertinet, notanda sunt primum verba quaedam, *mactare, litare*[2], *adolere*, diis *honores indicere*, quae quidem, ut ait Lerschius, « ad linguam magis quam ad certum morem spectare videntur, nequaquam autem ab omni sunt ritus et habitus observatione sejuncta ». Tum vero *statuuntur*, non trahuntur ad aram hostiae[3], ut videantur ipsae quasi sua sponte deo se offerre. Victimarum probatio infuso in frontem vino, immolatio mola salsa peragitur[4]. Diversae autem a frugibus salsis, a salsa mola videntur esse οὐλοχύται quum farre Romani, Graeci hordeo uterentur. Exta autem non *projiciuntur*, sed *porriciuntur*[5]. Romanum vero capitis inter sacra velandi ritum in Aeneide legimus descriptum, cujus originem poeta verbis sane non ambiguis ad Aenean refert[6]. Formulas

1. V, 772.
2. II, 118.
3. V, 236; VI, 243; IX, 627; VIII, 85; XII, 171.
4. IV, 61; VI, 244; II, 133; XII, 172; IV, 617.
5. Cf. Macrob., III, 2 : « Non, ut quidam, *projiciam* existimantes, dixisse Virgilium projicienda exta, quia adjecit in fluctus; sed non ita est. Nam et ex disciplina haruspicum, et ex praecepto pontificum verbum hoc solemne sacrificantibus est : sicut Veranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem hujus verbi exsecutus est : exta porriciunto, Diis danto, in altaria, aramve focumve eove quo exta dari debebunt ». — Cf. Liv. XXIX, 27. — Varro, *L. L.* VI, § 31.
6. Varro, *L. L.* V, § 130. Macrob., I, 8; III, 6; Liv., X, 7; Cic., *N. D.* II, 3. In opere caelato Florentino Aeneas conspicitur capite velato sacrificans in Reale Galleria di Ferenze, *Statue*, vol. III, 119. — Lerschius.

autem precationum plerasque, non Graecas, nec Homericas, sed Romanas esse quis negaverit? « Romani, inquit Lerschius, quum non nisi a Diis praesentibus hominibus afferri posse auxilium crederent, eos solebant precari ut adessent ». Quam saepe vero vocabulum hoc solemne precantium « *adsis* » apud Virgilium occurrat[1], sciunt omnes qui in legendo poeta vel minimum acquieverunt. Quod si Aeneas exclamat :

> Sequimur te, sancte deorum
> Quisquis es[2],

credendum et Servio et Lerschio pontificum morem hic praestringi observantibus, quum ita illi precarentur : « Juppiter omnipotens vel quo alio nomine appellari volueris[3] ». Satis nota sunt verba quae Romanis lapidibus inscripta legi solent : SIVE DEO SIVE DEAE[4]. Hector quidem apud Homerum ita Apollinem alloquitur :

> Τίς δέ σύ ἐσσι, φέριστε θέων, ὅς μ' εἴρεαι ἄντην[5].

At non illa precatio est ; Hectorem voce cujusdam dei non manifesti interpellatum non mirum est addubitare cujusnam dei sit illa interpellatio atque interpellantem percontari. Jam vero quum *libentem* ac *laetum* se praedicat Aeneas vel alius quilibet Diis sacrificare, licet agnoscas verba ita usitata ut in

1. VIII, 73; IV, 578; I, 734; X, 255, 461, 773. Cf. Arnob., III, 43.
2. IV, 576. — Cf. I, 330; IX, 21.
3. Serv., *ad* IV, 576.
4. Cf. Tab. Frat. Arv. XXXII, 3. — Cf. *Corp. Insc. latin.* 1, n° 1114. Orelli, n° 2135, 2136, 2137.
5. *Iliad.* XV, 247.

marmoribus antiquis primae tantum litterae L L exsculpi solerent [1].

De arte magica et de divinatione eodem fere modo Lerschius disputat nec semper fallitur. Se Marsorum incantamenta in animo habere Virgilius certis in locis ita aperte declarat, ut res nulla explicatione sane egeat. Unde enim profectus est sacerdos ille

> Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
> Spargere qui somnos cantuque manuque solebat [2],

nisi a Marruvia gente, circa Fucinum lacum sita? Unde et herbae ab eo quaeruntur ad vulnera sananda, nisi a Marsis montibus [3]? Romani autem credebant sui esse arbitrii visa omina improbare vel recipere: inde versus:

> Nec maximus omen
> Abnuit Aeneas [4].

Solebant iidem si quando faustum eventum aliquo omine sibi 'portendi putarent, Deos orare ut omine altero eodemque secundo prius tunc adhuc dubium incertumque firmarent. Qua consuetudine

1. Unum de multis titulum proferam; quem apud Henzen, III, n° 5997 reperies :

MERCVRIO ET
MAIAE Q SEIVS
POSTVMVS
V S L L M

quae linea ultima sic legenda est : votum solvit *libens laetus* merito.

2. VII, 551. Cf. Servium ad hunc locum.

3. VII, 757.

4. V, 530. Cf. Cic., *Divin.* I, 46. Liv. 38, 18.

nescio an nulla magis genti fuerit propria; poeta tamen, nulla aetatis heroicae ratione habita, non semel ad eam alludit[1]. Hoc vero fortasse gravius atque ad propositum Lerschii firmandum accommodatius; quum apud Homerum omen non nisi in dextra coeli parte aspectum faustum dicatur, contra apud Virgilium in sinistra[2]. Hoc vero Romanos a Graecis interesse jam Cicero animadverterat. Possunt quoque et ignis e capite Julii elucens et flamma Laviniae virgini circumfusa prodigia haberi ex antiquis Romanorum annalibus repetita.

Militia apud Virgilium plurima Lerschio disputanti argumenta suppeditat; etenim in copia rerum vere Romanarum vir eruditus versatur. *Classico* canitur[3]; auditur *tubae* clangor[4]; incurvus equitum *lituus* Miseno datur[5]; bellicum signum editur *bucinae* aereo circulo in semet flexo[6]; strepunt *aerea cornua*[7];

1. Cf. Serv., *ad Aen.* II, 691, *Atque haec omina firma*: «secundum morem Romanum petit, ut visa firmentur. Non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili. Nam si dissimilia sint posteriora, solvuntur priora». Quem locum, quum ad confirmandam sententiam proferre posset, cur omiserit Lerschius, nescio.

2. II, 693; IX, 630.

3. *Aen.* VII, 637. Cf. Veg., II, 22: «Classicum item appellatur quod bucinatores per cornu dicunt. Hoc insigne videtur imperii, quia classicum canit imperatore praesente, vel quum in militem capitaliter animadvertitur, quia hoc ex imperialibus legibus fieri necesse». Has vero militares consuetudines a Virgilio omnino servatas esse vix possit aliquis contendere.

4. II, 313; VII, 62?, etc.

5. VI, 167.

6. VII, 519; XI, 475. Cf. Veget., III, 5.

7. Varro, *L. L.* V, § 117: «Cornua, quod ea quae nunc sunt ex aere, tunc fiebant bubulo e cornu.» Recte, ut vide-

Vexillum in arce, dicturus eram in Capitolio, attollitur[1]; *tessera*, signum scilicet quo inter se dignoscuntur milites, per ordines circuit[2]; sunt tum in Latini exercitu, tum in copiis Trojani Aeneae et *manipuli* et *cohortes* et *turmae*[3] et *magistri equitum*; *Scutum* quod Romanis, postquam stipendiarii facti sunt, proprium fuit corporis tegumentum jam a Trojanis, ab Arcadibus, ab Italis geritur[4]. *Parmam* velitum equitumque Helenori, Lauso, Camillae et ejus sociis, Butae etiam ingenti vides tributam[5]: utrum varietati consuluerit tantum poeta, an voluerit ad

tur, Lerschius addit : « Virgilium conjiciat aliquis e versibus (VII, 519) *cornuque recurvo*) et 513 (*Tum vero ad vocem celeres qua bucina signum Dira dedit*) inter se comparatis cornu et bucinam unum idemque habuisse ». Sed hoc nos a sensu verborum nimis urgendo apud Virgilium deterrere debet.

1. VIII, 1 à 4. — Quem locum dum profert Lerschius, omittit versum : *simul omne tumultu Conjurat trepido Latium*. Cf. Servium : aut *legitima* erat *militia*, aut *conjuratio* aut evocatio.. . si esset tumultus, i. e. bellum Italicum aut Gallicum.... qui fuerat ducturus exercitum.... dicebat : *Qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur*, et dicebatur ista militia *conjuratio* Quod ad vexillum attinet, cf. Caesar, *B. G.* II, 20; Liv. IX, 23; Plut., *Pomp.*, 68.

2. VII, 637. Serv. : « Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur, scilicet propter confusionem ». Cf. Hirt., *B. H.*, 36 ; *B. A.*, 83; Stat., *Theb.* VII, 236.

3. Referenda tamen sunt ad cohortes, manipulos, turmas quae de phalange ac caterva Lerschius dixit : « voces illae a nulla notione singulari sunt explicandae. Talibus vocabulis et poeta et scriptores ad vulgarem consuetudinem utuntur ».

4. VII, 722, 796; VIII, 93; X, 506.

5. IX, 546 ; X, 800, 817; XI, 711; 693. Miratur Lerschius parmam Butae, quippe qui neque eques neque tiro sit Sed hoc ipsum nos monet Virgilium non semper in Romanis moribus describendis haerere.

mores Romanos respici, non certo affirmaverim; res certe apud Romanos in usu erat. Tum quae memorantur gentium Italicarum fuisse, plurima invenias arma, *salignas umbonum crates*, *cetram*, *peltas* Abellanorum, *galeros* Praenestinorum[1], *pila* Ausonidum[2] eorumque militum quos Aventinus ducit[3], *falcatos* Oscorum *enses*, *dolonem* et *veru* Sabinorum[4], *corytos* Cosarum[5], *secures*, *cateias*, *aclydes* Oscorum, *plumbeas* Anagninorum *glandes*[6], quae omnia, quamvis a poeta fingi potuerint, tamen antiquitatibus Italicis necesse est ascribamus. *Phalerae*, ut videtur, Graecis ignotae; quas apud Virgilium videmus dono datas[7]; memorantur et Rhamnetis phalerae, nescio an propter Etruscam viri originem[8]. Verbum militare aut potius gladiatorium *hoc habet*[9], a Messapo regem Aulestem feriente usurpatur. Nec deest illud *Macte virtute*[10] quod de pugna redeuntibus apud Romanos dici solebat. De castrorum forma si anquirendum putemus, speciem Romanam fere

1. VII, 632, 732, 743.
2. XII, 121.
3. VII, 664.
4. VII, 732, 664.
5. X, 168.
6. VII, 627, 741, 730, 687.
7. *Aen.* V, 310. Primus equum *phaleris* insignem victor habeto ... Unde versum XI, 89, bellator equus, positis *insignibus*, ita Lerschius interpretatur ut insignia pro phaleris posita sint.
8. IX, 359. Serv. : Phalerae ornamenta equorum sunt. Recte disputat Lerschius phaleras quoque peditibus apud Romanos concessas fuisse. Cf. Gell., II, 11, Insc. Mus. Veron., 218, 2. — De praemiis militaribus, cf. *Ann. Inst. Rom.*
9. XII, 296.
10. IX, 641.

omnia videntur prae se ferre; *agger moerorum* hostem distinet[1]; e *vallo* prospectant obsessi[2]; *fossa* ducitur; *pinnae* eminent[3]. In urbibus vero obsidendis, *testudo*[4] quae junctis inter se scutis constat, adhibetur; *turres* mobiles pluribus tabulatis compactae, rotis pontibusque instructae, circumaguntur[5]; *ariete* convelluntur urbium portae atque aedium fores[6]. Post victoriam scuta caesorum hostium comburuntur[7]. Spolia autem opima tum quae retulit Cossus, tum quae Marcellus patris Quirini templo affixit, Virgilius in Aeneide memoranda curavit[8]. In foedere feriendo, prodeunt sacerdotes velati *limo*, ut Romani popae, coronati *verbena*, ut feciales et paterpatratus, quum foedera essent facturi, vel bella indicturi[9];

1. IX, 381, 888; X, 24.
2. IX, 168.
3. VII, 157 et seq.
4. IX, 505, 512; II, 441.
5. XII, 674.
6. II, 492; XII, 706.
7. VIII, 561. Lersch. laudat Livii locum, VIII, 30 : « Magister equitum, ut ex tanta caede [Samnitium], multis potitus spoliis, congesta in ingentem acervum hostilia arma subdito igne concremavit, seu votum id Deorum cuiquam fuit, seu — — ne suae gloriae fructum dictator caperet ». Sed ex his ultimis verbis apparet illud non semper fieri, nec pro certa consuetudine haberi posse. Spolia sane comburebantur quum nimis multa essent ac nimio pondere victorem impedire potuissent : igitur ex eo quod concremata fuerunt, magna significatur victoria. Cf. tamen Plut., *Mar.*, 22, ubi legitur ὥσπερ ἔθος ἐστίν, Flor. IV, 12, qui habet *non ex more belli cremata*. Scilicet quoties spolia delendi necessitas erat, igni dabantur.
8. VI, 842, 856.
9. XII, 120. — Lerschius laudat Varron., *De vita P. R.*, fragm. 111, p. 247 ; T. Liv. 30, 43; I, 24 ; sed in his locis verbenae usus memoratur, non coronae e verbena.

caeditur *porca*, hostia solemnis; invocantur tum plurimi dii quos tota antiquitas fidei datae testes adesse, et violatae ultores futuros credidit, tum *Janus* quem Italicae gentes peculiari quodam cultu prosequebantur [1].

His quoque erunt adjicienda quae de republica Lerschius disserit. Aeneas aliique Aeneidis reges saepe more Romano videntur res tractare atque administrare. Acestes Trojanus *patres* convocat, quod nomen Romae senatorum esse satis constat, *indicit* forum, quod verbum, Servio teste, juris est [2]. Ad leges *tabulis aereis* quae in Capitolio fixae asservabantur incisas, vix est quod admoneamus poetam alludere; adeo noti sunt versus [3]! Consuetudinis vero qua Romae consul, bello ingruente, portas Jani reserat, originem ad Latinos refert ipse Virgilius [4]. Tum *Romuleus culmus* historiam Romanam haud dubie spectat [5]; e qua desumpta sunt quoque regum *insignia*. Apud Homerum unum fere est regium insigne, sceptrum scilicet: unde reges σκηπτοῦχοι vocantur. In Virgilio autem pompa regum ampliata est ac multiplicata; et *trabeam* et *sellam* [6] et *coronam*

1. Lersch. ad Dionysium Hal., *A. R.* II, 50, provocat. Romulus soli Ὀρθοσίῳ Διί (Jovi Statori) sacrificat. Τάτιος δὲ Ἡλίῳ καὶ Σελήνῃ καὶ Κρόνῳ καὶ Ῥέᾳ, πρὸς δὲ τούτοις Ἑστίᾳ καὶ Ἡφαίστῳ καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Ἐνυαλίῳ καὶ ἄλλοις θεοῖς, ὧν χαλεπὸν ἐξειπεῖν Ἑλλάδι γλώττῃ τὰ ὀνόματα. Quae numina nec committit Virgilius ut enumeret. Janum diis illis respondere quorum nomina pronuntiatu difficile sit, vix Lerschio concedi potest.

2. V, 759. — 3. VI, 624.

4. VII, 611.

5. VIII, 654.

6. XI, 334; VII, 612. Cf. de trabea, Plin., *N. H.* VIII, 74; IX, 76.

simul cum *sceptro* invenias. Plurimum autem inter *trabeam* ac τὸ φάρος Homeri, quamvis utraque vestis purpurea fuerit, videtur interesse; plurimum quoque inter *sellam curulem* atque illos *lapides laevigatos* quibus heroici aevi reges insidere apud Homerum dicuntur. Θρόνος ipse, qui Trojanis temporibus in usu erat, potius sedes cujuslibet viri fuisse quam regum videtur. *Corona radiata* quae Latino, Solis nepoti, datur, non omnino Romanis erat incognita[1]. Quid quod *fasces* Virgilius ait regibus regnum auspicantibus attolli[2]? quod instrumentum atque insigne Romanis regibus ac magistratibus proprium fuisse tota fere historia testatur. *Cinctum Gabinum* suffecerit memorare[3]. Apud inferos, unus e magistratibus Romanis factus, Minos *quaesitor* vocatur; imo vero, quaesitoris muneribus fungitur, quum judicum nomina, quos in consilium vocet, ipse, urna mota, sortiatur[4]. Jam de *patribus* diximus : attende etiam senatum *sanctum* vocari[5], quod verbum majestate Romana est plenum ; senatum Evandri *pauperem* dici[6], quae laus in primo Romanorum senatu solet praedicari ; tum *patres populumque* una nominari[7], ita ut formulam celeberrimam, in actis ac monumentis veteribus ubique obviam poeta videatur adhibere.

1. Cf. Florum, IV, 2. Suet., *Aug.*, IV, 2.
2. VII, 173; VI, 819.
3 VII, 612.
4. VI, 431. Cf. Cic., *Verr.* I, 10, 17, et Pseudo Asc. ad hos locos. Recte Lerschius *quaesitorem* a *judice* et *vindice* distinguit.
5. I, 426. Qui versus multis interpretibus interpolatus visus est. Cf. E. Benoist, ad h. l.
6. VIII, 105.
7. VIII, 679; IV, 682; IX, 192.

Templum autem apud Latinos, ut florentissimis reipublicae temporibus pro *Curia* habetur[1]. Mantuae *gentem triplicem* et *populos quaternos*[2] ad historiam Italicam licet referas; ad Romanam *Claudiam tribum*[3]. Ipsae urbes non alio more conduntur quo Roma ipsa et Romanae coloniae; *optatur* enim locus[4]; *sulcus*, ad loca murorum designenda, *aratro* circumagitur[5]. Locorum ad domos aedificandas fit sortitio[6]. Arx vero Evandri quam sibi hic memorandam Lerschius putavit, ipsum Capitolium est[7]. Quod Carthagine *theatrum* fuisse fertur[8], licet, si ita videatur, agnoscas studium quo Romani ludicra prosequebantur.

Haec Lerschio ita disputanti quasi certatim assensere omnes fere nostrae aetatis scriptores qui aut Aeneidis explicandae curam sibi sumpserunt aut ad quaedam carminis loca propius inspicienda suis studiis atque investigationibus adducti fuere[9]; ita

1. VII, 174. Cf. Liv., 30, 21; 31, 47; 33, 24; 34, 43; 41, 22; Sall., *Cat.* 49.
2. X, 201. — 3. VII, 706.
4. III, 109, 132; I, 425.
5. V, 755; VII, 157.
6. V, 756.
7. VIII, 313.
8. I, 427. Scenae etiam apud V. fit mentio, I, 428, et in versu IV, 471 : Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes. Solent interpretes intelligere quasi esset *in scena actus*. Lerschius vult *spectra*, visiones quasdam per hoc verbum *scenas* significari. Sed loca quae affert (Aus. Mosell. 318, Stat. Silv. IV, 3, 20, Suet. *Calig.* 15) male hanc sententiam tueri videntur. Versus Virgilii I, 429, *scenis decora alta futuris*, nos docet, ut videtur, quo sensu intelligi debeat *scenis agitatus Orestes*.
9. Inter Germanos praesto est nominare Forbiger et Gossrau, quibus fortasse Lerschii libellus nimis placet, Weid-

ut pro explorato habere jure possimus, non solum multa apud Virgilium inveniri quae Romana esse poeta sine ambagibus profiteatur quaeque suum Latinum nomen ac colorem retinuerint, verum etiam plura occurrere quae legentis animum ad Romana instituta latenter revocent quibusque enucleandis ac plane intelligendis quadam rerum Romanarum doctrina opus sit.

III

Quae quum ita sint, Lerschio adversari et Tittmanni aut etiam vero similiorem Heynii et Wagneri sententiam opponere arduum sit ac paene temerarium. At meminerimus, quaeso, Lerschium in principio disputationis hoc ponere, *Vergilium per Aeneidem non tantum in quibusdam sed in omnibus a vero heroicorum temporum habitu recessisse, et posteriorem, id est Romanam harum rerum rationem observasse.*

Quam sententiam a vero multum discrepare,

ner, modi servandi peritiorem. E nostris hominibus quosdam tantum proferam : Sainte-Beuve (*Études sur Virgile*); Boissier (*La Religion romaine*); Fustel de Coulanges (*La cité antique*); E. Benoist, *Œuvres de Virgile*, I, XLI et passim. Nec est quod silentio praetereamus scriptorem, locupletissimum antiquitatis existimatorem, omni elegantiae ac judicii laude insignem qui duos libros de poesi romana nuper edidit (Patin, *Études sur la poésie latine*, I, p. 199 et passim); conferendi sunt de navibus Jal (*Virgilius Nauticus*), de Etruscis antiquitatibus Alex. Bertrand (*Revue archéolog.* 1874), qui nescio an his rebus nimium acumen adhibuerit.

ipsum argumentorum genus ad quod Lerschius cogitur confugere, satis, ut videtur, demonstrabit.

Primum plurimis in disputationis locis videtur Lerschius quasi oblivisci multa in Aeneide occurrere quae, quum neque ad Homericam aetatem neque ad aliam potissimum sint referenda, antiqua tantum dici possint, non Romana. Ut exempla afferam, augures legibus Romanis constituti erant qui futura e volatu avium praedicerent. *Auguribus* vero jam apud Homerum occurrimus, siquidem verbo οἰωνόπολοι non decipimur[1]. Mulieres sacerdotali dignitate praeditae obviae sunt in Aeneide[2], sed jam Minervae sacerdos femina, *Theano* scilicet, ab Homero memoratur. *Sollitaurilia* apud Virgilium videntur fieri[3]; sed et apud Homerum quaedam sacra sunt quae, quum immolentur oves, sues bovesque, suovetaurilia jure dici possint. *Taurum* aut *juvencum*[4]

1. Tres augures apud Virgilium, Rhamnes IX, 327, Tolumnius XII, 258, 460, Iapis XII, 392. Paucissimi quidem, si de augurum Romanorum in republica dignitate et potestate cogitaveris. Cf. Cic., *De leg.* II, 12.

2. VII, 419. *Fit Calybe Junonis.* Ipse Lerschius addit : in quo quis poetam ad Graecorum magis morem quam Latinum spectasse conjicere possit, qui anus templis Ἥρας saepenumero adderent.

3. Tria suovetaurilia in *Aeneide* Lerschius invenit, I, 633 ; XI, 197 ; V, 96. Sed in primo loco tauri, sues, agni cum matribus ab Aenea sociis mittuntur, sacri cujusdam nulla fit mentio ; in secundo, mactantur Morti boves, sues *pecudes*. Dubitari potest an pecudes ex agris raptae nonnisi oves sint. Superest tertius locus ubi tres hostiae ritu praescriptae, *bidentes*, *sues*, *juvenci* vere nominantur. — Cf. *Od.* VIII, 59.

4. Recte Lerschius disputat vocabula *taurum* et *juvencum* a poeta promiscue usurpari. Cf. Macr. III, 10. Serv. *Aen.* XII, 20 ; IX, 627.

Romani Jovi mactabant, sed et Graeci heroica jam inde ab aetate[1]; Neptunus, Apollo semper, ut videtur, et ubique tauros hostias sibi depoposcerunt[2]. Nescimus quando *vacca sterilis* Proserpinae[3], *Oves* Phoebo[4] caedi coeperint. Omni tempore in hostiis deligendis coloris respectus habitus fuit, ita ut Nocti et mortuis nigrae oves offerrentur, albae autem victimae deo cuique placidissimo. Multi vero sacrificandi ritus totius antiquitatis communes fuere; primum, tum Romani tum Graeci, atque, ut vere dicam, populi fere omnes crediderunt nonnisi puro animo et corpore debere homines ad Deos accedere; ne mireris igitur et apud Virgilium et apud Homerum eum qui sacrum facturus sit aut libaturus, lavari, aut vestes mundas induere, aut saltem manus aqua abluere[5]. « Quod funesta vestimenta, inquit Lerschius, funusque in universum hominem maculat, VI, 149, videmus ubi Sibylla Aenean monet ne prius infernum adeat quam Misenum mortuum sepulcro condiderit ». Sed nefas esse eum qui cadaver tetigerit, aras deorum adire Graeci quoque existimaverunt[6]. *Eximii* in sacrificiis vocabulum non poeticum ἐπίθετον esse sed sacerdotale nomen Macrobio concedendum est; sed jam heroico tempore quidam

1. *Od.* I, 25 et passim.
2. *Aen.* III, 158, 118. *Il.* I, 41. *Od.* III, 6.
3. *Aen.* VI, 249. *Od.* XI, 20.
4. *Aen.* IV, 57. *Il.* I, 41, 66.
5. *Aen.* II, 718; VI, 635. *Od.* III, 444; IV, 759. *Il.* VI, 267. Cf. Aesch., *Eum.*, 287, Eurip., *Iphig. in Tauris*, v. 380.
6. Cf. Eurip., *Iph. in Tauris*, v. 380 : Τὰ δὲ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα | ἥτις, βρότων μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου | ἢ καὶ λοχείας ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν | βώμων ἀνείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη. Cf. Aesch., *Eum.*, 287.

hostiarum delectus erat, ut declarant ἡ βοῦς ἦνις, εὐρυμέτωπος, ἀδμήτη (quod idem fere valet atque *injugis* aut *intacta*[1]) quam Diomedes Minervae vovet, aut αἱ τελείαι αἶγες, de quibus saepius apud Homerum fit mentio[2]. Cornua victimarum solebant apud Achivos auro illini, siquidem faber ad hanc operam praestandam Nestoris jussu arcersitus fuerit[3]; sed et solebant apud Romanos. Recte quidem Lerschius Fratrum Arvalium carmen affert, « *Bove aurato vovimus esse futurum*[4] », sed et Homeri Odyssea hic quoque laudari poterat. Quid dicam de saetis in ignem conjectis[5], de epulis post sacra institutis[6], de diis sacrorum participibus factis? Haec quidem Homerica sunt aut Graeca nisi forte malueris pro Romanis habere; Romana sunt nisi forte malueris heroica existimari. Quod si Virgilius Aenean ita loquentem inducit : « Ore favete omnes[7], » solemni pontificum Romanorum formula utitur quidem; sed non ita Romanis propria ut non aliquid simile apud Graecos deprehendi possit; succurrit enim reputanti versus quo Nestor Graecos alloquitur :

Φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε[8].

De libationibus, de oleo, sanguine, vino, melle ad libandum in inferis adhibito[9], de manibus supinis,

1. *Il.* XXI, 132.
2. *Il.* I, 66; *Od.* XI, 30, 34.
3. *Od.* III, 425.
4. Tab. XIX, 7.
5. *Aen.* VI, 246. Cf. *Od.* XIV, 422. *Il.* III, 273.
6. *Aen.* VIII, 183. Cf. *Od.* III, 33, 37, 40.
7. V, 71.
8. *Il.* IX, 171.
9. *Aen.* III, 66; VI, 264. Cf. Aesch., *Pers.*, 615. Eurip., *Iph. in Tauris*, 159. *Od.* XI, 26.

de terra submissis precantium genibus petita idem disserere possis, quum hi ritus tota fere antiquitate, ex quo sacra fieri coepta sunt, viguerint. Adde coronas omnis generis, e lauro, ex oliva, e populo, e myrto, cum taeniis utrinque dependentibus[1], serta quoque aris templisque adornandis adhibita. Sacrae vero *arbores* ad quas non nisi cum horroris motu acceditur, quae votivis muneribus decorantur, si memorantur a Virgilio, quis audeat contendere poetam ad consuetudinem Italicam potissimum respicere quum sciamus jam inde ab antiquitate remotissima arbores sacras, auctoribus Plinio et Luciano, prima templa, primos et deos fuisse[2]. In Pantheo quidem illo, ab Agrippa aedificato, quod Virgilius sane demirari potuit, *aereae* trabes et valvae ad hunc usque diem servatae nunc quoque conspiciuntur. Sacellum quidem *aeneum* Jani Gemini Romae erat videre; ad has autem aedes in templo Junonis describendo allusisse Virgilium quis jure affirmet quum vetustissima templa quae a Graecis condita fuerunt aere fulgerent, quum quaedam ab ipso aere nomen traherent[3], quum in ipsa Alcinoi domo non tantum limina, sed et muri ahenei fuisse dicantur. Ad artem magicam si pergemus, reperiemus amatorias incantationes, quales in IV Aeneidis describuntur, non admodum ab iis differre quae a poetis Medeae

1. Exempli gratia, cf. in Musaeo antiquorum Lutetiae caput Herculis marmoreum quod pro Xenophonte haberi solet; lemniscos agnoscas.

2. Cf. *Dictionn. des antiquités* de Saglio, Arbores sacrae.

3. Satis erit memorare thesaurum Atrei Mycenis, et aedem illam Spartae Junoni sacram quae χαλκίοικος dicebatur.

aliisve feminis tribuuntur[1]. *Herbas* falcibus *aenis quaesitas* Macrobius jam docuerat in illa Sophoclis tragoedia inveniri qua Medea maleficas herbas χαλκέοισι δρεπάνοις secat et succum herbarum in cados aeneos χαλκέοισι κάδοις refundit[2]. *Hippomanes* vero non ita appellaretur, nisi ad Graecam quamdam opinionem spectaret. Nec de divinandi arte aliud, ut videtur, sentiendum est; quod sanguis visus pro infausto omine ducitur[3], quod oracula a somniis petuntur, quod vox ore excidens de fati aut deorum voluntate putatur admonere[4], jam Homerus exempla praestare possit; quod terrae motus, sonitum tubae armorumque per auras auditum, coeli χάσματα, cometas sanguineos Graeci quoque pro monstris habuere, nemini, ut videtur, non notum. Num ergo quisquam et ignoret templa apud Graecos oraculorum quaerendorum causa adiri, et incubationem, quae graece ἐγκοίμησις[5] dicitur, aliquando in templis eadem de causa fieri ? Numeros quoque esse sacros, exempli causa, ternas res esse debere quae ad rem divinam attinerent, tota fere antiquitas persuasum habuit. Singula quid referam? Communia sunt vel cum Homerica antiquitate vel cum Graeca, multa tum ad rem militarem, tum ad privatam vitam pertinentia; velut quum reges ipsi judicia exercent, quum sacra ipsi perficiunt, quum regibus dona a regibus mittuntur. Frustra igitur Lerschius exempla regum aut judicantium aut sacris operan-

1. Cf. Apoll. Rh., III, 532 et sq. Theoc., II.
2. Macr., V, 19. Tragoedia inscripta erat : ῥιζοτόμοι.
3. *Il.* XVI, 459, ubi de pluvia sanguinea agitur.
4. *Aen.* VIII, 17. Cf. *Od.* XVII, 547 ; XX, 98.
5. Cf. Cic. *Div.* I, 43.

tium aut dona a senatu missa accipientium ex historia Romana repetit. Idem scriptor de urbis condendae more disserens haec scribit : « Praeter muros, portas viasque stratas maximi momenti pro Romanorum, bellicosae gentis sensu ipsa erat *arx*. Eadem in omnibus per Aeneidem memoratur oppidis». At arces videntur fuisse, ex quo oppida coepta sunt condi ; nec id minoris momenti ceteris populis quam Romanis videri debuit, quum tota antiquitate urbes contra urbes bella gesserint. Quod oppidis ab Aenea aliisve Trojanis positis Ilium inditur nomen, consuetudinem non unius populi Trojani aut Romani, sed fere omnium gentium agnoscas[1]; hoc natura monstratum est ; eadem homines aliunde ortos docet amor patriae et loci prioris vivax desiderium. *Clamor bellicus* et heroico tempore tolli solebat ; legitur quidem in Gellio[2] : « Sed enim Achaeos Homerus pugnam indipisci ait non fidicularum tibiarumque concentu, sed mentium animorumque conspiratu tacito nitibundos :

> Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοὶ
> Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισιν.

Sed ardentissimum militum vel dimicantium vel ad pugnam procedentium aliquando fieri loca Homeri plurima testantur. Dum Merio, Deiphobum telo frustra conatus interimere, alteram hastam quaesiturus in tentoria recedit, poeta addit :

> Οἱ δ' ἄλλοι μάρναντο, βοὴ δ' ἄσβεστος ὀρώρει[3].

1. Cf. Herod., IV, 204. Post Barces exitium, Persarum rex Barcaeis quemdam Bactrianae regionis vicum dedit quem illi Barcen nomine dixere.
2. I, ch. XI.
3. *Il.* XIII, 167.

qui versus apud Homerum non semel occurrit[1]. Hectore vero proelium apud naves redintegrante :

τοὶ δ' ἅμ' ἕποντο
ἠχῇ θεσπεσίῃ, ἐπὶ δ' ἴαχε λαὸς ὄπισθεν.
Ἀργεῖοι δ' ἑτέρωθεν ἐπίαχον,...
. . . .
Ἠχὴ δ' ἀμφοτέρων ἵκετ' αἰθέρα καὶ Διὸς αὐγάς[2].

Tum si apud Virgilium versus de tironum exercitationibus leguntur,

Ante urbem pueri et primaevo flore juventus
Exercentur equis domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt[3],

non est cur continuo putes ad Romanam consuetudinem alludi et, teste Vegetio[4], salitionem equorum non tantum a tironibus sed etiam a stipendiariis militibus districte exactam fuisse admoneas; neque enim tantum Romae ad militiam juvenes exercitiis formabantur[5]. Jam vero inde ab antiquitate remotissima et *excubiae vigiliaeque* agebantur et *lapides ignesque* ad arcendos hostes e muris jaciebantur, et *fossae* implebantur, et muris apponebantur *scalae* et arma ex hostibus capta templis aut domibus *affigi* solebant[6]. Ad vitam privatam si orationem vertemus, *justitia* quidem et *pietas* et *fortitudo* pluris apud Romanos habebantur; nec tamen apud Grae-

1. *Il.* XIII, 540.
2. *Ibid.* 833. Cf. XIV, 400; XVI, 267.
3. *Aen.* VII, 162.
4. I, 18.
5. Cf. Hesiod., *Scutum Herculis*, 285, τοὶ δ' αὖ προπάροιθε πόληος | νῶθ' ἵππων ἐπιβάντες ἐθύνεον.
6. Friedreich (*Die Realien*, p. 152) respicere jubet ad Biblia, 1. B, Samuel, 31, 20; Pausan., LX, c. x.

cos, ut etiam ex Homero patet, omnino sordebant. *Avi nomen* apud Romanos saepius nepoti dabatur, sed ipso Lerschio fatente, haec consuetudo in Graecia quoque vigebat[1]. Infame erat Romae *se suspendere;* sed et apud Graecos, etiam Ulyssis aevo[2] « Unusquisque, ait Lerschius[3], qui Romani juris institutionum non omnino est nescius, non ignorat *dotem* maritis ab uxorum patribus dari. Juno ad Venerem de Didone Aeneae nubente, IV, 103 :

> Liceat Phrygio servire marito
> Dotalesque tuae Tyrios permittere dextrae.

Tyrii igitur sint dos Aeneae vel ejus matri a Didone vel tutela ejus, Junone, danda. Dos igitur datur a muliere marito ex more Romano ». Sed non ita mos ille Romanis proprius ut non aliquem similem Graecorum scriptores exhibeant : jam Homerus, non tantum ἕδνα novit, quibus, ut ita dicam, maritus a patre uxorem emeret, sed μείλια aut ἐπιμείλια, quae quasi dos erat a patre filiae nubenti data[4]. Audi vero postea Medeam feminarum sorti ingemiscentem quibus maritus pretio sit comparandus :

> γυναῖκες ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν
> ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
> πόσιν πρίασθαι[5].

Jam si haec in quadam tragoedia latina legerentur, Romana esse eodem fere jure quo Lerschius de

1 Cf. Eurip. Phoeniss. 769 : Ἐγὼ δὲ παῖδα σὸν | Μενοικέα σοῦ πατρὸς αὐτεπώνυμον | λαβόντα πέμψω δεῦρο Τειρεσίαν, Κρέον.
2. *Od.* XXII, 462 : οὐ καθαρὸν θάνατον Telemachus vocat. Cf. Eustath : καθαρὸς θανάτος ὁ διὰ ξίφους, μιαρὸς δὲ ὁ ἀγχονιμαῖος.
3. L., *Antiq. Rom.*, n° 76.
4. *Il.* IX, 147. Cf. XXII, 51.
5. Eurip , *Medea*, 231.

Virgiliano versu disserens, aliquis possit contendere. Quid quod Lerschius feminam

> Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
> Impositum [1],

Romanam vult haberi, quasi Romae tantum *lanificiis* mulieres fuerint occupatae. At et apud Homerum jam mulieres famulas *penso exercent,* et in domibus Graecis erant « oeci magni in quibus matresfamiliarum cum lanificis habent sessionem [2] ». Adde quod Virgiliana comparatio partim ab Apollonio partim ab Homero, Graeco utroque, videtur fuisse ducta [3]. *A radio* qui dicitur apud Homerum κερκίς, differre *pectinem* idque instrumentum Graeco poetae incognitum esse evincit quidem Lerschius [4]; non efficit tamen ut Romanis proprium esse videatur.

De vestimentis apud Aeneidem plerisque eadem fere dicenda habeas. A *tunica*, interiore scilicet virorum feminarumque veste, χιτών non videtur multum discrepare [5]; *palla* et Graecum nomen retinuit. Hoc vero

> .... circumtextum croceo velamen acantho [6],

1. *Aen.* VIII, 409. — 2. Vitruv., VI, 6 (ou 10).
3. Apoll., IV, 1062, et Hom., *Il.* XII, 433.
4. Qui locum affert ex Ovidio, *Fast.* III, 819 : Illa etiam stantes *radio* percurrere telas | Erudit, et rarum *pectine* denset opus, deinde Virgilii versum, IX, 476, Excussi manibus *radii* revolutaque pensa, cum Homerico, *Il.* XXII, 448, τῆς δ' ἐλελίχθη γυῖα, χάμαι δέ οἱ ἔκπεσε κερκίς, confert, qua comparatione apparet κερκίδα et radium idem fuisse instrumentum.
5. De his versibus : Huic gladio perque aerea suta | Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum, X, 313, ita disserit Lerschius : « ne cum Servio *squalentem auro* explices : splendentem loricam, quippe jam per aerea suta significatam. » Non videtur scriptor sibi constare qui, dum contendit loricam semper parvis laminis vel annulis esse connexam contendit, eumdem versum profert et Servio plane assentitur. (*Antiquit. Rom.* §§ 30 et 79). — 6. *Aen.* I, 649.

sive pro graeca κύκλαδε habeas, sive pro velo quodam longiore e capite supra humeros dorsumque demisso, unice Romanum haberi vix potest. *Chlamys* apud Romanos quidem a pueris juvenibusque solebat aliquando geri; unde vero sumpta nisi a Graecis, apud quos principio Thessalorum equitum fuit vestimentum?[1] Jam *croceus* et *purpureus* vestimentorum *color, picturatae* atque *auratae vestes* alicujus potissimum aetatis ac gentis dici nequeunt, quum vel apud Homerum, hujusmodi opera laudata ac descripta invenias[2]. Praetermitto *fibulas*[3], *bullas*[4], *diademata, monilia, caelata opera*, χρυσελεφάντινα, *ebur* auro aut terebintho inclusum, *gemmas, citharas*, quae omnia ad luculentam totius antiquitatis, quaedam etiam heroicae, supellectilem, pertinent. Quod manus ante caenam lavantur[5], quod vina post epulas afferuntur[6], exempla ab Homero proferri possint; quod discumbitur, quod mantelia in conviviis adhibentur, usus postea excogitatos sed non primum a Romanis, haud aegre agnoscas. De funeribus postea fusius disserendum erit. Hoc tamen jam animadversum volumus multa cum heroica vita, communia esse, ut quum de *cenotaphiis*[7], de *inferiis*[8], de *oculis*

1. Cf. Amm., p. 146 : Ἡ μὲν χλαῖνα ἡρωϊκόν, χλαμὺς δὲ μακεδονικὸν, μετὰ ἑξακόσια ἔτη τῶν ἡρωϊκῶν ὀνομασθεῖσα. Pollux, VII, 46

2. Cf. *Il.* III, 126, édit. Pierron, ubi explicatur verbum ἐνέπασσεν et locus *Aeneidis* IX, 582, *Pictus acu chlamydem* confertur. *Il.* VI, 289, πέπλοι παμποίκιλοι.

3. *Il.* XVIII, 401 : πόρπας τε γναμπτάς θ' ἕλικας καλύκας τε καὶ ὅρμους, III, 872; XVII, 52.

4. Ἧλοι χρύσειοι. *Il.* XI, 29.

5. Cf. *Od.* I, 136. — 6. *Il.* IX, 202.

7. *Od.* I, 69. — 8. *Od.* V, 311 : quibus κτέρεα respondent.

post mortem *pressis*[1], de *corpore compellato, deposito, loto, uncto, servato* per octo dies[2], de *purpureis vestibus* super cadaver injectis[3], de mulieribus pectora et faciem tundentibus[4], de ossibus *vino* aspersis[5], deinde *lectis,* de *novissimis verbis,* de sepulcro defuncti *insignibus* ornato[6], sermo est; multa rursus a totius antiquitatis, praesertim graecae consuetudinibus non discrepare. ut quum, *tubicines* prodeunt[7], *spolia* hostium in busti ignem conjiciuntur[8], *vertuntur arma, odores* incenduntur. Quae omnia, quum Homero aut Graecis non fuerint incognita, ut Lerschii proposito non admodum repugnant, ita certe ad confirmandum parum valent.

Fatetur quidem Lerschius nonnulla ex his neque ab antiquitate Graeca neque a Latina aliena esse; sed quasi eum confessionis poeniteat, addere properat ea sine dubio ex antiquitate Latina a Virgilio fuisse eruta. Homeri temporibus, inquit[9], in usu fuisse videtur, virum virtute clarum, reges itaque imprimis ob sua in populum merita agro donari, qui τέμενος vocatur.... ex quo more explicaverunt viri

1. *Od.* XI, 425. Οὐδέ μοι ἔτλη ἴοντι περ εἰς Ἀΐδαο | χερσὶ κατ' ὀφθαλμοὺς ἑλέειν, σύν τε στόμ' ἐρεῖσαι.

2. *Od.* IX, 63. *Il.* XIX, 212 : ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος; XVII, 351; XXIV, 720; XXIV, 785.

3. *Il.* XVIII, 353 : φάρει. *Od.* II, 97-99. *Il.* XXIV, 795.

4. *Il.* XIX, 284; XI, 393.

5. XXIII, 237.

6. *Od.* XII, 157.

7. Cf. Plat., *De leg.*, lib. IX. Athen., lib. XIV, c. III, p. 619.

8. Apud Homerum arma tantum defuncti comburuntur, *Il.* XXIII, 170. *Od.* XXIV, 68. *Od.* XI, 74.

9. *De Morum in Aeneide habitu*, p. 41.

docti hos duos Virgilii locos, alterum *Aen.* XI, 316 :

> Est antiquus ager, Tusco mihi proximus amni,
> Longus in occasum, finis super usque Sicanos;
> Aurunci Rutulique serunt....

Alterum IX, 274.

> Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.

Sed non opus est, ut Graecum huc advocemus morem; idem enim patrius mos exstitit Virgilio, ut testantur Servius ad posteriorem locum et Dionys. Halicarn., III, c. II.... Hic quidem disertis verbis. Hanc autem disputandi rationem contra se ipsum converti posse Lerschius quantumvis sagax non videtur intellexisse, atqui licebat sic argumentari : sed non opus est ut *Romanum* huc advocemus morem; idem enim mos Graecus exstitit. Morem autem Homericum significari a Virgilio eo verisimilius est quod heroica aetate Aeneis versetur[1].

Operae pretium est, exempli gratia, Lerschium de *sceptro* disputantem audire. Postquam docuit sceptro et corona conjunctis regiam dignitatem duobus

1. Revera, prior locus *est antiquus ager* non ad consuetudinem aliquam Romanam videtur alludere, sed ex ipsa Latii historia, qualem Romani scriptores jam tum confinxerant, vera falsis remiscentes, ductus est. Neque enim est cur hic Servio fidem denegemus ita annotanti : « Cato enim in *Originibus* dicit Trojanos a Latino accepisse agrum qui est inter Laurentum et castra Trojana. Quod ad posteriorem locum attinet, *Insuper his*.... ipse Servius rem videtur in ambiguo relinquere utrum homerica perstringatur consuetudo an romana : « mos fuerat, ait, ut viris fortibus sive (al. *atque*) regibus pro honore daretur aliqua publici agri particula, ut habuit Tarquinius Superbus in campo Martio, quod spatium ab Homero τέμενος dicitur.... ».

in locis (I, 653, VII, 246) indicari, addit vir modi in rebus servandi amantissimus : « Illud tantum concesserim sceptrum, XII, 206, a Latino patribusque Latinis gestatum ex Homerica imitatione esse desumptum ». Sed brevi quasi de suo jure decessisset, non potest non subjicere : « Attamen sceptrum, quum tot populis fuerit commune, quum porro quem Romanorum imperatores triumphantes manu gestare solebant, scipio eburneus aquila insidente nil nisi id ipsum esset, vix adfirmari poterit de Graecis illud esse depromptum[1] ». Adeo ea quae ipse communia esse fatetur, tamen, Romana omnia circumspicere assuetus, vult e fonte Romano a Virgilio fuisse hausta!

Hoc quoque Lerschium fallit quod multa apud Virgilium haud dubie *nomine* Romana sunt; sed ubi primum res ipsas propius inspicere volueris, ut Homericas esse aut Romanas declares, desideratur significatio certa et verus index. Etenim Virgilius in descriptionibus dilatandis, sive judicio quodam peculiari, sive aetatis elegantioris beneficio omne supervacuum respuentis, multo minus quam Homerus moratur; inde sequitur ut rerum expressam imaginem si voluerimus animo nobis effingere, minus succedat. Ut exemplo utar, si arma illa excipias quae et Italiae populis dantur et ipso quodam inusitato nomine ab aliis quibuslibet distinguuntur, quaeritur utrum Romana sint an Homerica, *loricae*, *galeae*, *hastae*, *hastilia*, quae ab heroibus geri passim dicuntur. Haec poeta, non de Aeneae clypeo, qui forma atque partium coagmentatione Achillis clypeo

1. *Antiquitates*, § 10.

simillimus videtur, sed de ejusdem viri ceteris armis :

> interque manus et bracchia versat
> Terribilem cristis galeam flammasque vomentem
> Fatiferumque ensem, loricam ex aere rigentem
> Sanguineam, ingentem, qualis quum caerula nubes
> Solis inardescit radiis longeque refulget[1].

Per Maronem certe licet audias illam heroicae aetatis galeam ἀμφίφαλον aut τετραφάληρον, exiguis scilicet clypeis et conis pluribus instructam, cristis quoque rubentibus insignem; licet quoque, si ita malueris, galeae assimiles quam hastatorum fuisse memorat Polybius : ἐπὶ δὲ τούτοις προσεπισκομοῦνται πτερίνῳ στεφάνῳ καὶ πτεροῖς φοινικίοις ἢ μέλασιν ὀρθοῖς τρίσιν, ὡς πηχυαίοις τὸ μέγεθος[2]. Loricam autem, Aeneae dico, nihil impedit quin huic thoraci simillimam putes, quorum tres partes στατὸς θώρηξ, ζῶμα atque μίτρη, et ornamenta alia ex auro, ex stanno alia aut argento memorantur; sed nihil quoque obstat quin potius de lorica hamis conserta, apud Virgilium alias fusius descripta, aut de illo thorace vere Romano qui in columnis antiquis conspici solet, si ita libebit, cogites. Lerschius quidem contendit loricam eo a thorace differre quod illa semper parvis laminis vel anulis sit connexa, hic integro metallo sit fusus;

1. *Aen.* VIII, 619.
2. Polybius, VI, 23, 12, laudatus a Lerschio, *Antiq. roman.* § 32, qui haec Polybii verba ad galeam Turni triplici juba crinitam referri posse credit. At quod numerus jubarum quadrat, causa certe levis est cur de hastatorum galea cogites, praesertim quum illa Turni galea chimaera ornetur, nulla vero animalis forma hastatorum galeae.

sed ipse loricam aliquando a poeta thoraca dici agnoscit, ut hoc versu XI, 487:

> Jamque adeo Rutulum thoraca indutus ahenis
> Horrebat squamis.

Unde non mirum quoque esset aliquando *loricam* pro *thorace* positam fuisse. De hastis vero subtilius forsan, non rectius, ut videtur, Lerschius disserit. « Quum in Graecorum vasis pictis, inquit, totiens conspiciantur heroes binis ἀκοντίοις armati, suspicari quis possit, poetam Romanum, quotiens binis hastilibus vel spiculis militem armaverit, Graecum morem respexisse, praesertim si apud eorum quoque poetas bellatores αἰχμαῖσι διδύμαισιν venisse audias. Verum cautione opus est.... Ut verbo dicam.... non numerus solus, sed res ac forma rei Romanum redolet. *Poetae ob oculos versata sunt bina illa pila quae hastatis dari solebant* ». Unde autem haec Lerschii affirmantis confidentia? In ludo scilicet Trojae, pueri :

> Cornea bina ferunt praefixa hastilia ferro;

Baebius autem Macer, teste Servio, dixit, ab Augusto pueris, qui luserant Trojam, donatas esse galeas et bina hastilia. Tum Polybius de pilis hastatorum duobus : προσήρμοσται δ' ἑκάστοις βέλος σιδηροῦν ἀγκιστρωτὸν, ἴσον ἔχον τὸ μῆκος τοῖς ξύλοις. Vegetius autem pila *ferro* subtili trigono *praefixa* ait fuisse; Lydus magister ἀκόντια ἐπὶ τῆς δεξιᾶς δύο γλωχῖνας πλατείας ἔχοντα a militibus Romanis gesta fuisse memorat. Quae omnia sane probant duas hastas, ut et heroico aevo, ita Romanorum aetate, in usu fuisse, scilicet, ut altera emissa, altera dimicanti

suppeteret; at non eo valent ut affirmes a Virgilio pila Romana significari; neque enim pro justa descriptione verba *latum ferrum* ac *praefixa* habenda sunt, etiamsi existimes de lato ferro in laudatis Polybii ac Vegetii locis mentionem fieri. Hoc unum fortasse Lerschio concedi potest, quod jam antiqui animadverterunt, duo spicula puerorum Trojam ludentium ad donum Augusti alludere.

Animadvertendum quoque illud erat quasdam res in Aeneide non ab eo consilio omnia ad Romanas consuetudines referendi, sed ab ipsa fabulae ratione proficisci. Exemplo fuerit regia potestas. Apud Homerum, tria sunt, ut jam Aristoteles observavit, regum munia : exercitum ducunt, sacris operantur, jus dicunt. Haec omnia Aeneas, sed et jus *condit*, non tantum dicit. Quid autem mirum quum Agamemnoni aut Ulyssi nulla sit civitas constituenda, Aenean autem, qui patriam sibi et comitibus parare conetur, oporteat omnibus fungi muneribus quae in conditorem, non tantum in regem cadant.

Verum « ita, inquit Lerschius, Romanorum indoles, qua in legibus condendis prae aliis omnibus semper excelluerunt populis, quasi e speculo elucet ». Lerschio quidem non contradicendum est, nec tamen plane assentiendum. Nam quae Aeneas de se praedicat

Jura domosque dabam,

ea alius cujuslibet urbis conditor jure diceret. Quod adeo verum est ut non tantum Aeneas et Acestes, viri Trojani, sed et Dido, Tyria femina, jura condat:

Jura dabat legesque viris.

Restat ut contendas indolem quoque Romanam in regina barbara apparere; sed si in Aenea tantum appareret, certe clarius eluceret. Cum Didone communicata, quasi obscuratur vix agnoscenda. Ad senatum in Aeneide saepius alludi et ipsi fatemur. Nec tamen putamus, quoties de principum quodam conventu sermo sit, toties hunc ordinem poetae animo obversatum esse. Exempli gratia Aeneas in tertio libro sic loquitur :

> Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
> Monstra deum refero, et quae sit sententia posco.

Continuo Lerschius : « Quod ex ea ratione instituit, qua prodigia Romae ad senatum semper referebantur, cujus innumeram apud Livium poteris habere copiam v. g. XXIII, I...., XLV, 16 ». Sequuntur loca Livii. Sed, primum, de rebus omnibus quae ad civitatem pertinebant, non tantum de prodigiis senatus Romae consulebatur; non est ergo cur argumentum ab eo petas quod de re sacra agatur. Deinde, si paulum ad fabulam ipsam attendere volueris, rationem facti haud aegre deprehendes : solus Anchises Cretae petendae auctor fuerat : Aeneas, quum comperisset patrem erravisse, iterque alio vertendum, *delectos* a se proceres, non, ut placet Lerschio, populi voluntate electos cum ipso patre iterum deliberaturus in concilium adhibet. Quid naturae magis consentaneum? Quid rationi magis congruens? « Ceterum, pergit Lerschius, versui 58 grammatica difficultas inest. Quaeri enim potest utrum *primum* sit adverbium (primo loco) an adjectivum, ita ut primus procerum delectorum vel

senatus i. e. princeps significetur. Quod si II, 260 comparamus :

Laetique cavo se robore promunt.
. , ...
. . . .
Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon,

adverbium putabimus, sin VIII, 281

Jamque sacerdotes primusque Potitius ibant,

alteri magis explicationi favebimus. » Sed ea tollitur difficultas ubi conjectura de senatu removetur. Aeneas enim primum patrem, id est, ut intelligit Servius, ante proceres, consulit; non mirum est eum primum adiri, qui erraverit, praesertim quum sit pater, antequam ab aliis sententiam postules. Dignus erat sane pius Aeneas qui patri ita morem gereret.

Plura ejusdem generis exempla congerere in promptu sit. Legitur in Lerschio « apud Maronem X, 361 :

Haeret pede pes densusque viro vir.

X, 734 :

Obvius adversoque occurrit seque viro vir
Contulit.

XI, 632 :

Implicuere inter se acies legitque virum vir.

Ad quae quamvis in mentem veniat Homeri versus Il. XIII, 131,

Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ

tamen non ex hoc, sed e Romanis historicis poetis-

que verba expressa esse certum est.... ». Tum Lerschius Furii Antiatis, Ennii, Livii, Taciti loca affert. Sed res nihil prae se fert quod proprie Romanum sit : ipsa antiqua dimicandi ratio cogebat ut aliquando vir cum viro depugnaret. Quid de castrorum situ? Castra ea tutissima a Romanis haberi quorum latus adjectum sit flumini, alterum editissimo loco ductum, tertium palude cinctum, ex Hirtii loco docet Lerschius. Tum addit : « Haec omnia in castra vel oppidum ab Aenea conditum convenire videntur. Ruit enim fluvius ibi in mare. Cf. IX, 467. In ipso vero fluvio classem posuit Aeneas IX, 69; locus est editior; in littore enim posita sunt, VII, 158. Tertio haec Aeneae castra palude videntur fuisse munita, XIII, 745 ». Ut haec omnia e Virgilii verbis erui possint, vides nullam hic populi cujuslibet consuetudinem perstringi : quum poeta Aenean pro duce perito haberi sane velit, non mirum est virum eligendis castrorum locis aliquam prudentiam adhibere.

Nec in hoc tantum videtur Lerschius errare. Sed saepe, praesertim in antiquitatum libello, nodum, si quis disputanti occurrit, non solvit sed praecidit. Exempli causa, ramorum oleagineorum usus ad pacem petendam sane insolentior ut in Romanis, et esse Lerschio quoque videtur; sed causam cur Virgilius a more suo tantum deflexerit, et requirit et non diu quaesitam in medium confidenter affert. « Non negandum est ipsum hoc loco Graecum ritum adoptare, sed talem ritum qui quum populus Romanus vix unquam ad preces et supplicationes bello victus fuerit delapsus, e patria arcessi nequaquam poterat. Ubi enim occasio semper defuit, mos

quoque excoli nequit[1] ». Verum, si Virgilius nihil nisi Romana lectori praetendere voluerit, unde fit ut consuetudinem, quae apud Romanos nunquam excoli deberet, in carmen importaverit? Illud autem gravius : Servius, quo teste Lerschius semper utitur, aliquoties tamen, ut de legatis admittendis, et de victima ad foedus feriendum delecta, nostro interpreti deesse atque etiam contradicere videtur. Nempe ad hos Virgilii versus :

Ille intra tecta vocari
Imperat et solio medius considit avito[2],

adnotat Servius : « Dissentit hoc loco e Romana consuetudine. Nam legati si quando incogniti venire nuntiarentur, primo quid vellent ab exploratoribus requirebatur, post ad eos egrediebantur magistratus minores, et tunc demum senatus extra urbem postulata noscebat, et ita si visum fuisset admittebantur ». Lerschius, qui ad Servii argutias, quoties ejus proposito favent, confugit, hic grammaticum, omissa omni disputatione « argutiorem fortasse quam verum, » esse pronuntiat. Nec magis verbis Servii : « Sane ovem Graeco more foederi adhibuit, » impeditus haesitat Lerschius : « Potest poeta, inquit, vel ex antiquo libro pontificali caerimoniam talem nosse, vel duos diversissimos populos notare voluisse, alterum cujus porca signum est, Trojanorum, alterum cui ovis sit destinata, vel foedus ita patrasse ut infectum, id est non rite perfectum talium rerum gnaro visum sit[3] ». Quibus e causis tribus secunda

1. Lersch., *Antiq.* § 52.
2. Serv., *ad Aen.* VII, 168.
3. Lersch., *Antiq.* § 54.

quidem nos ad Homericam aetatem jubet animum referre; quam astute vero illam duabus reliquis quae e moribus Romanis petitae sunt, Lerschius mediam interponit ut nos pars illa qua claudicat, ut ita dicam, ejus disputatio, legentes lateat.

Subtilior justo jam ex iis quae attulimus Lerschius videri potuit. At ea subtilitas quousque progrediatur mirum sit, nisi teneamus eum hoc demonstrandum sibi sumpsisse, mores Romanos per totam Aeneidem describi. Hanc viam ingressus nec dextrorsum nec sinistrorsum deflectit; res suo proposito subjungit, non rebus sententiam. Ergo « Laurentis regia Pici » non alia est atque domus Augusti in Palatino; quippe quae et tectum *augustum* vocetur, et centum dicatur columnis fuisse innixa. « Quem ornatum quamvis de Palatina domo non possim demonstrare, Romanorum tamen maxime fuisse vides ex Hecatostylo prope Pompeii theatrum[1] ». Quod si de quodam piscatore dicitur :

> pauperque domus nec nota potentum
> Munera [2],

continuo Lerschius : « Tangit poeta, ut verbo dicam, temporum suorum nequitiam qua qui magistratum erant petituri vel aliam ob causam plebi adulaturi immensam et aeris et publici muneris copiam profuderunt[3] ». Sed alia ratio explicandi simplicior suppetit. Munera enim esse, quidquid potentes appetant ac suorum laborum quasi mercedem existiment, dignitates scilicet, et imperia et divitias,

1. Lersch., *Antiq.* § 5.
2. *Aen.* XII, 519.
3. Lersch., *Antiq.* § 16.

quidam jam interpretes putaverunt[1]. Qui versus, si ita tibi audiendus esse videbitur, non jam ad Romanos potissimum nec ad aetatem Virgilii, sed ad omnes populos, in quibus modo proceres sunt atque humiliores, et ad omnia fere tempora pertinet.

Hoc quoque ejusdem subtilitatis specimen dare videtur. Quum discordia inter Latinos et Trojanos fortuita eruperit et statim manus duo populi conseruerint, nulla quidem belli fuit indictio. Etrusci jampridem a Latinis Mezentium ad supplicium reposcebant; non alia fuisse videtur inter Etruscos Latinosque belli denuntiatio. Atqui vult Lerschius apud Virgilium Romanam belli indicendi consuetudinem ac rationem deprehendere. Turnus, quum primo statim adventu Trojana castra expugnare parat, exclamat :

> Ecquis erit mecum, juvenes, qui primus in hostem?
> En, ait, et jaculum attorquens emittit in auras,
> *Principium pugnae* et campo sese arduus infert[2].

Continuo Lerschius memorat[3] « apud Romanos, si quando cum finitimis quoddam jurgium esset, cum fecialibus proficisci patrem patratum, hunc ante fores stantem clara voce belli causam dicere, deinde quum nollent hostes populo Romano satisfacere, hastam conjicere ». Fatendum est quidem non sine ambagibus poetam ad illum morem allusisse. Quis enim Turnum pro patre patrato habere velit? Ubinam autem illa clarigatio quam feciales dicuntur fecisse? Ne de bello quidem indicendo agitur, quum prima

1. Cf. E. Benoist, *Aen.* XII, 520.
2. *Aen.* IX, 52.
3. Lersch., *Antiq.* § 21.

pugna jam fuerit commissa ac poeta supra dixerit:

Stant belli causae : sanguis novus imbuit arma[1].

At viginti equites Turnum comitantur; quattuor tantum feciales a Romanis ad res repetendas mittebantur. Hic Lerschius locum quemdam a Varrone apud Nonium eruit unde constat feciales viginti aliquando constitutos fuisse : « Si cujus legati violati essent, qui id fecissent, quamvis nobiles essent, uti dederentur civitati statuerunt fecialesque viginti qui de his rebus cognoscerent, judicarent et statuerent, constituerunt ». Hic ille est numerus Virgilianus : quidni? Turnus pugnam orditur; feciales illi viginti, de quibus Varro, de violato legatorum ju·e cognoscebant! Res mirum in modum quadrant!

Sed in hoc magna in parte cum Servio delirat Lerschius. Quid quod legionem Romanam non dubitat asseverare non nomine solum, sed reipsa et numero in Aeneidem fuisse inductam? Qui ita ratiocinatur:

Sub Massico mille juvenes; Abas noningentos ducit quorum sexcenti a Populonia oriundi, trecenti ab Ilva; Asilam sequuntur mille : si tercentum addas quos miserunt Caere, Pyrgi, Graviscae, tria millia ducentos perficies : desunt autem centum ut numerus legionis antiquae evadat. Nil autem obstat quin Cinyrae et *paucis* comitato Cupavoni centum attribuamus. Habemus ergo justam legionem; ne deest quidem equitatus, quum tercentum illos no-

1. *Aen.* VII, 553.

vissime memoratos liceat equites habere, quippe quos ducat :

Astur equo fidens et versicoloribus armis.

Jam propius res consideranti apparebit in postrema acie de qua dicitur :

Mille rapit (Asylas) densos acie atque horrentibus hastis,

stare legionis Romanae *hastatos*. *Principes* vero quis non agnoverit quum et Massicus vocetur princeps, et hi milites in legione mille ducenti essent! Jam sexcentos quis neget *Triarios* esse, quum numerus consentiat! Juvenes quidem eos poeta appellat, πρεσβυτάτους Polybius, quod non plane consentit, sed quum Virgilius subjiciat eos expertos belli esse, fiunt quasi usu rerum et militari scientia veteres. Tandem trecentos ab Ilva profectos, ut pro Velitibus accipere velit, lector rogatur[1].

1. Nobis quidem tota haec disputatio jocus ac ludus videtur esse. Paucis tamen est respondendum ne controversiam fugere videamur. Ut sub Astyre tercentum Caeretanos aliosque Etruscos fuisse concedamus, non constat Astyri suas non fuisse peculiares copias; nempe Virgilius, Astyre memorato addit : Tercentum *adjiciunt*..... Qui Caerete domo, etc.... Quibus autem copiis adjiciunt? non Massici aut Asylae copiis videlicet sed Astyris exercitui, cujus viri novissima mentio est facta? Non eae sunt Astyris copiae sed quae fortasse copias Astyris complent. Non repugno quin centum Cupavoni dentur, quanquam illi pauci fiunt paucissimi: sed quot milites Cinyram comitentur nec poeta dicit, nec interpres curavit; debent tamen sui Cinyrae, Ligurum ductori, milites esse : quae manus, quantumvis exigua, omnes rationes superiores conturbat. Praeterea, quod etiam multo gravioris momenti est, quid fit de quingentis militibus quos Ocnus dicitur ab urbe Mantua in Latium rapere? Hos ne memorat quidem noster

Jam vero, ut singula paucis absolvam, si Lerschio fidem adhibeas, quum Venus augurata, cycnis in aere conspectis, prodigium in bonam partem accipit[1], poeta duodecim Romuli vulturios in animo habuit; et duo illi Evandri canes[2] pro cane in vestibulo aedium Romanorum alligato aut imagine canis in lithostroto depicti in carmen inducuntur; et quum Sergestus

domus tenet a quo Sergia nomen[3].

in saxa procurrentia navem impingit illiditque, ratio Catilinae habita fuit[4] qui, quum Sergia gente oriundus esset, tam infelici in illo civitatis Euripo ac fluctibus navigatione usus est; et quum, procella desaeviente, poeta naturam Didonis nuptiis non justis quasi ingementem ostendit :

Fulsere ignes et conscius aether
Conubii[5],

cogitandum est de facibus quae nubenti praeferebantur et de Fescenninis carminibus quae tum decantari solebant; et illa pellis qua indutus incedit Evander :

Demissa ab laeva pantherae terga retorquens[6]

toga putanda est; mirum est enim quam parum

interpres. Atqui nimis facile est legionem justam in *Aeneide* invenire, si in quolibet exercitu quidquid tria millia exsuperat, circumcidas.

1. *Aen.* I, 393.
2. *Aen.* VIII, 461. Lersch., § 72
3. *Aen.* V, 121.
4. Lersch., *Antiq.* § 73.
5. *Aen.* IV, 167 et 168. Lersch., § 77.
6. *Aen.* VIII, 460. Lersch., 79.

inter agrestem hunc regis Arcadii habitum et illam ad dignitatem compositam civium Romanorum vestem intersit! Sed de Lerschio hactenus. Jam consideranda sunt non ea quae Romana esse aut probavit aut videri perperam voluit, sed ea quae ad Homericam aetatem spectantia silentio praeteriit.

IIII

Sed antequam ad res ipsas veniamus, eximenda sunt, ut videtur e quaestione ea quae, quum ad antiquitatem Graecam sint referenda, non tamen Homerici aevi meram atque ingenuam indolem prae se ferunt. Neque enim Virgilius Homerum tantum spectat atque imitatur; sed multa a poetis tragicis, multa ab epicis lyricisque, vir omni eruditionis laude cumulatus mutuatur[1]. Hoc autem neminem fugit poetas Graecos in moribus heroicae aetatis repraesentandis minime veritati consuluisse, sed dum fabulam aut nomina personarum ab Homero peterent, in sui temporis describendis ac sensibus illustrandis potissimum acquievisse. Quo exemplo non tantum utitur Virgilius ut Romanis, si licet dicere, filis Graecam telam contexat, sed illam quoque praeposteram et commenticiam antiquitatem, in suum carmen jure quodam poetico usus transfert ac cum suis domi natis ultro aptat jungitque.

1. Cf. M. Patin, *Études sur la poésie latine*, I, p. 161 et suiv.

Ut exempla afferam primum e doctrina de diis petita, apud Homerum Ἀφροδίτη filia est Jovis et Dionae, quae quidem ipsa ex Oceano nata est, ergo Virgilius ab Homero discedit, quum Venerem a Neptuno his verbis compellatam inducit :

Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis
Unde genus ducis[1].

Sed auctor est Homeri deserendi tum communis Graecorum poetarum usus, tum Hesiodus in theogonia qui de Ἀφροδίτη ἀναδυομένη, jam fabulam exponit[2]. *Diana* apud Virgilium eadem est quae Hecate ac Proserpina, ut testantur et hic versus,

Tergeminamque Hecaten, tria Virginis ora Dianae[3]

et Nisi preces,

Astrorum decus et nemorum Latonia custos[4].

Apud Homerum ne vestigium quidem unum hujus doctrinae invenias. Virgilius scilicet minime ad homericos deos respicit, sed ad eos quales excogitavit, post Homerum, Graecorum poesis, tum varietatis studiosissima, tum ficta e fictis deducendi peritissima. Quod si quoque, ut interpretes nonnulli affirmant, inest *Dianae Tauridis* mentio in hoc versu :

Pinguis ubi et *placabilis* ara Dianae[5],

fatendum est hic quoque Virgilium minime in reli-

1. *Aen.* V, 800.
2. Hes., *Theog.* 195 et sq.
3. IV, 511.
4. IX, 405.
5. *Aen.* VII, 764. Serv. : placabiles autem, ac si diceret, non qualis ante fuit vel illic, vel apud Tauros, humano gaudens cruore.

gione Homerica versari, sed Euripidem aliosve etiam poetas, ut Euripide forsan priores, ita certe Homero posteriores sequi.

Ἥφαιστος apud Homerum clypeos loricas, tripodas, omnia denique quae ex aere, aut argento aut auro fiunt, ipse, nemine operam praebente, ministerio tantummodo follium aut forcipum per se laborantium usus, fabricatur. Virgiliano deo adsunt *Cyclopes* qui, quum apud Homerum pastores sint inusitata magnitudine, lactis in caseum premendi fere tantum periti, in pascendo occupati, nunquam officinam fabrilem sunt ingressi. Hesiodum quoque auctorem audendi videtur habuisse Virgilius qui[1]. Pyraemonem cyclopa Brontae ac Steropi comitem adjungit. Atqui Maro jam Cyclopas in tertio libro, et illos quidem Homericos induxerat, quum describitur Polyphemus et concilium illud monstrorum ad mare concurrentium; sed poeta, nulla certa lege, nunc ab Homero pendet, nunc fabulis post Homerum natis iisdemque omnino diversis materiam suam distinguit. Quid, quod apud Virgilium *Apollo,* deus medicinae factus, lapidem

potestates herbarum usumque medendi[2]

docet, quum sciamus apud Homerum Apollinem augurio tantum et cantui vacare? At non nos fugit quoque ejusdem dei partes a Graecis poetis ita postea auctas fuisse ut *Paeonis* nomine, medicinam

1. *Aen.* VIII, 425. Cf. Hes., *Théog.* 140.
2. XII, 396. Cf. X, 315.

professis praeesset[1]. Recense quoque Apollinis cognomina; quaedam Homero quidem omnino sunt incognita, ut Thymbraeus, Gryneus, sed originem Graecam ipsa produnt. Audi vero Servium hos versus explicantem

> Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
> Deserit ac Delum maternam invisit Apollo[2],

« Et bene aliud agens, aliud ostendit. Nam constat Apollinem sex mensibus hiemis (al. hiemalibus) apud Pataram Lyciae civitatem dare responsa, et sex (mensibus) aestivis apud Delum. » *Delium* Apollinem Homerus novit, *Patareum* non videtur novisse. Poetas Graecos hic quoque, sed aetatis recentioris poeta Romanus sequitur; imo vero totam fere comparationem ab Apollonio mutuatus est, apud quem legis

> Οἷος δ' ἐκ νηοῖο θυώδεος εἶσιν Ἀπόλλων
> Δῆλον ἀν' ἀγαθέην ἠὲ Κλάρον ἢ ὅγε Πυθὼ
> Ἢ Λυκίην εὐρεῖαν ἐπὶ Ξάνθοιο ῥοῇσιν[3]....

Legiferae Cereris nulla quoque apud Homerum mentio; unde autem hoc deae nomini additum vocabulum sumpsit Virgilius nisi a Graecis, apud quos

1. Friedreich, *Die Realien in der Iliade und Odyssea*, S. 694. Die Annahme Einiger dass Apollo von Homer auch als Heilgott erkannt worden unter dem Homerischen Paeon Apollo, und Ersterer als ein Beiname des Letzteren zu verstehen sei ist irrig : Homer weiss noch Nichts von Apollo als Arzt, und Eustath sagt ganz deutlich Paeon sei von Apollo ganz verschieden.

2. IV, 143.

3. Apollon. I, 307. Cf. Callim. *in Apoll.* 14. Τὰ ἀναγώγια vel τὰ καταγώγια, qui dies festi erant apud Graecos, videntur hic memorari.

sacra Cereris *Thesmophoria* vocabantur, dea ipsa Ἡ Θεσμοφόρος audiebat[1]?

Quid quod *Hercules* tot ac tantos labores in Aeneide dicitur puer ac juvenis exantlavisse, quod Centauros mactat, quod Nemeaeum leonem, quod anguem Lernaeum centum capitibus instructum domat, quum apud Homerum heros tantum, non deus, sit arcus tendendi peritissimus et cum uno prodigio, illo scilicet quo Hesione peritura erat, rem habuisse videatur? Quis non agnoscat fabulam a Graecis postea amplificatam, quam Euripides mira verborum ac rerum copia, choro adhibito enarravit? Quin etiam, si sparsa quaedam in Aeneide loca colliges[2], non dubitabis quin Virgilius hunc ipsum Euripidis chorum saepius in animo habuerit, atque carmini suo quasi inserere « versis viarum indiciis » tentaverit : inde enim petitus est ille Herculis habitus, Aventino datus, tegumen scilicet leonis ita dispositum ut totum viri os intra ferae hiatum appareat[3]; inde Centauri :

1. Cf. Callim., *Hymn. ad Cer.*: Κάλλιον ὡς πολίεσσιν ἑαδότα τέθμια δῶκε. — Diod., V, 5.

2. *Hercules furens*, 348.—Cf. Friedr. *Die Realien*, S. 469. Beinahe alles was der Lebensperiode der Kindheit und Jugend desselben angehört scheint in einer spätern Zeit enstanden zu sein wo eine schon mehr reflectirende Mythenbildung das Bedürfniss fühlte die Lücken zwischen der Geburt und den Thaten des Helden auszufüllen.

5. *Aen.* VII, 655, 666. Cf. *Herc. fur.*, 359 :

Πρῶτον μὲν Διὸς ἄλσος
ἠρέμωσε λέοντος
πύρσῳ δ' ἀμφεκαλύφθη
ξανθὸν κρᾶτ' ἐπινωτίσας
δεινῷ χάσματι θηρός.

Male, ut videtur, Th Fix sic vertit : « et cooperuit sibi fla-

Homolen Othrymque nivalem
Linquentes cursu rapido[1];

inde illa herculeorum itinerum admiratio :

Nec vero Alcides tantum telluris obivit[2].

inde et illa fabula

Fixerit aeripedem cervam licet[3].

quum alias legatur cervam hanc ab Hercule cursu superatam fuisse ac vivae manum injectam; inde et ille spiritus atque alacritas juvenum in octavo libro Herculis laudes celebrantium.

Quid quod *Bacchi* cultum ac comitatum vix Homerus novit, Virgilius autem Amatam orgia Dionysii eodem fere modo, quo in Euripide Agave, celebrantem inducit. Nec desunt hic quoque furti vestigia; unde enim ductum existimabimus Virgilii versum,

sacrum tibi pascere crinem[4],

quuum, ut jam Heynius annotavit, rarius occurrat « quod comam quoque Baccho alunt Bacchae »; scilicet praeivit Euripides :

Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ τ' αὐτὸν τρέφω[5].

vum caput, terga tegens terribili rictu fulvo ferae ». Neque enim terga, sed caput rictu cooperitur : ἐπινωτίσας vero ad reliquam pellis partem quae per tergum dependet spectat.

1. *Aen.* VII, 675. Cf. *Herc. fur.* v. 364 et 371.
2. *Aen.* VI, 801.
3. VI, 802.
4. VII, 391.
5. *Bacchae* v. 494.

Quid quod apud Homerum *mater Deorum* non est illa Berecynthia

> Laeta deum partu, centum complexa nepotes[1].

sed Rhea, Croni conjux et soror[2]? Agnoscas fabulam ut ab Oriente profectam, ita a Graecis acceptam elaboratamque, unde jure Lucretius dixit :

> Hanc *veteres Graium docti* cecinere *poetae*
> Sublimem in curru bijugos agitare leones[3].

Quum Homerus his poetis non sit annumerandus, ab illis qui post Homerum nati sunt descriptionem Virgilii haustam fuisse cogitandum est, nisi velis arbitrari, hic ut in aliis locis, nostrum poetam cum Lucretio poetico quodam certamine contendisse. Quod vero *Aesculapius*, revocato ad vitam homine Jovi iram movit, nondum Homeri temporibus, quum Aesculapius vix tum unus e Diis haberetur, excogitari potuit; Graeci autem poetae multo ante Virgilium, ut ex Pindaro apparet[4], fabulam hanc commenti erant. Jam *Harpyae*[5] apud Homerum non aliae sunt ac ventorum spirantes aurae quibus filiae Pandarei abripiuntur; quam dissimiles sint in Aeneide neminem fallit. Scilicet Virgilius Apollonium sequitur ac quid heroica aetas de Harpyis senserit leviter videtur curare[6]. Miraris *Aegionem* inter Jovis hostes in Aeneide referri quum in Iliade Jovi periclitanti opem tulisse

1. *Aen.* VI, 786.
2. *Iliad.* XIV, 103. XV, 187.
3. Luc., II, 600.
4. *Pyth.* III, 96. Cf. Aesch., *Agamemn.* 1021.
5. *Od.* XX, 66, 77. — *Il.* XVI, 150.
6. Apud Hesiodum (*Theogn.* 265) Harpyae forma sunt conspicuae; primus Aeschylus (*Eumenides*, v. 46) foedas aspectu describit.

dicatur. Sed scholia Veronensia nos docent has jam Aegionis partes apud Antimachum fuisse. Quid quod *Aurorae* currum duo tantum equi, *Lampos* scilicet ac *Phaeton* in Odysseà trahant, quadrigis roseis dea in Aeneide insidat? Hanc vehiculi magnificentiam Euripides excogitaverat[1]. Una apud Homerum Furia occurrit, nec ea aspectu foedissima dicitur; tantum eam insatiabili esse animo et per aera vagari poeta narrat[2]. Apud Virgilium omnia in effingendis Furiis ad terrorem composita : *Alecto* in facies se innumerabiles convertit, alias aliis tetriores terribiliores que; colubris horret tota; *Tisiphone* vero nocentes facibus atque ipso vocis sono exterret. Hae Furiae iis sane non absimiles quas, Athenis in theatro feminae gravidae cum sui et partus periculo horrebant[3].

1. Friedr., *Die Realien*, p. 665.
2. *Il.* IX, 571.
3. Huc quoque, si fidem Macrobio adhibeas, pertinere videbuntur versus :

> Excessere omnes adytis arisque relictis
> Di quibus imperium hoc steterat.... (II, 351.)

« Hoc unde Virgilius duxerit, inquit grammaticus, nullus inquirit; sed constat illum de Euripide traxisse qui in fabula Troadibus inducit Apollinem [Neptunum] cum Troja capienda esset, ista dicentem (*Troades*, 23) :

> Ἐγὼ δὲ (νικῶμαι γὰρ Ἀργείας θεοῦ
> Ἥρας Ἀθάνας θ' αἳ συνεξεῖλον Φρύγας)
> λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον βωμούς τ' ἐμούς.

Servius vero hos versus ad Romanam superstitionem refert. « *Excessere*; quia ante expugnationem evocabantur ab hostibus numina, propter vitanda sacrilegia ». Arduum est quidem dijudicare uter, Macrobiusne an Servius fallatur : Haec vero toti antiquitati communis videri potest opinio, non posse urbem capi nisi Dii quorum tutelae esset credita, ab ea migravissent; nec res adeo mira est quum nostri

Haec fere habeas de Diis dicenda, ut Virgilius, nullo temporum respectu habito, ad heroica quae postea homines de Diis commenti sunt retraxerit atque contulerit. Historiae vero heroici aevi ad heroas ipsos pertinentes quam varie narratae sint a poetis Graecis notum est omnibus. In hoc quoque Virgilius Homerum saepissime deserit, aut, si ita malueris dici, eos sequitur qui jam Homerum deseruere. Apud Odysseae scriptorem, *Ajax*, quum rupes in qua steterat Neptuni tridente rupta dissiluisset, aqua mergitur[1]; quem virum medio mari fulmine ictum atque in scopulos turbine abreptum ibique infixum Virgilius nobis ostendit! Cur ita ab Homero recedit? Jam Macrobius illud in fabula quae inscribitur *Troades* colloquium memoravit quo Neptunus Minervam Graecis iratam ita alloquitur.

> Ἀλλ' ἕρπ' Ὄλυμπον καὶ κεραυνίους βολας
> λαβοῦσα πατρὸς ἐκ χέρων καραδόκει
> ὅταν στράτευμ' Ἀργεῖον ἐξίῃ κάλως[2].

De morte quidem Ajacis nullum verbum promitur; sed quum hinc constaret Ajacem prope Caphareum promontorium periisse, illinc Euripides Pallada rapto fulmine Graeco exercitui insidiantem induxisset, Virgilius, ut legentibus praeclaram imaginem exhiberet, duas fabulas commode miscuit. In primo Aeneidis libro, quamvis Dido affirmet se omnia scire quae ad bellum Trojanum pertineant, debuit tamen Aeneas, quum templum Junonis

quoque homines, si quid adversi accidat, se a Deo destitui arbitrentur.

1. *Od.* III, 175; IV, 499.
2. Eurip., *Troades*, v. 92

perlustraret, veritatem in una e picturis requirere; nempe, si fides Homero adhibetur, raptatum est *Hectoris* corpus, non circa urbem Trojam, sed circa Patrocli pyram. Unde hoc quoque a poeta novatum est? Habuit sane in animo Euripidis versus, eadem, Homero deserto, fingentis.

> καὶ τὸν ἐμὸν μελέας πόσιν Ἕκτορα τὸν περὶ τείχη
> εἵλκυσε διφρεύων παῖς ἁλίας Θέτιδος[1].

Alludit quoque Virgilius ad oraculum quo *Rhesus* rex Thracum, Trojanorum socius, Trojam erat servaturus, si ejus equi in Xantho flumine bibissent; quae fabula plane Homerum et Euripidem latuit; at in L. Attio, qui eam, ut videtur, ab aliquo Graeciae tragico poeta repetiverat, invenitur[2].

1. *Androm.* 107.

2. Nec videtur quoque Macrobius errare quum ad Euripidis imitationem Virgilianam illam de Didonis fatali capillo fabulam refert (*Saturn.* V, 19). Inducitur enim in scenam a poeta Graeco Mors gladium gestans quo crinem Alcestidi abscindat atque ita loquitur (v. 74) :

> Ἡ δ' οὖν γυνὴ κάτεισιν εἰς Ἅδου δόμους.
> Στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει·
> Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
> Ὅτου τόδ' ἔγχος κράτος ἁγνίσει τρίχα.

Nec dissentit Servius, ille quidem auctus. Quam rem Lerschius, satis ridicule, ut videtur, ab eo more mavult ducere quo apud Romanos, in quibusdam sacris, infernis fortasse (neque enim id ullo modo constat), saetae e fronte victimarum evulsae, in ignes injiciebantur. Cuncta vero verba Virgilium tunc Euripidis meminisse arguunt : legitur enim primum :

> Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
> Abstulerat, *Stygioque caput damnaverat Orco.*

Quod vero ad mores attinet, in nulla re forsan tantam ab Homero recedendi licentiam sibi poetae Graeci vindicaverunt. Notum est paene omnibus quidquid in hoc genere ausi sunt, nec hoc verbum sic accipi velim quasi suam illis libertatem vitio vertam : venia poetis nullo non tempore concessa videntur jure usi fuisse. Horum vestigiis insistentem saepe Virgilium licet deprehendere. Exornatur Junonis templum aut statuis in fastigio positis, ut quidam volunt, aut picturis per parietes ipsos dispositis, ut vero propius est : ne quaeras utrum necne ars pingendi jam heroico tempore fuerit nota atque ita floruerit ut quae versibus celebrarentur ea quoque possint oculis penicillo delineata atque expressa, subjici. Euripides in *Ione*[1] (heroico jam tempore, quum Creusa mater Ionis eademque Erechtei filia, de quo apud Homerum mentio jam injecta est, in hac fabula prodeat) varias in templi Delphici porticibus picturas conspici jam commentitus erat. Noli quoque mirari tantum apud Virgilium inter Trojanorum et Graecorum sermonem aut habitum interesse, quum hi atque illi apud Homerum eadem lingua, eodem corporis cultu uti videantur ; praeiverant tragici qui, quamvis fabulas heroicas in actus deducant, non tamen ad heroicae aetatis mores,

Deinde ita loquitur Iris :

Hunc ego *Diti*
Sacrum jussa *fero.*

Suspicari etiam licet, quoniam Alcestis ipsa « nec fato, merita nec morte » pereat, Virgilium ita Euripideos versus interpretatum esse quasi in acerbis funeribus capillum ad solvendam animam secari necesse esset.

1. *Ion*, v. 192.

sed ad suae, non ad Trojanos illos Homeri, sed ad Asiaticos respiciunt. Hos igitur populos, quibuscum pugnant Graeci, et barbaros vocant, et ἀλλοθρόους fingunt esse, et luxuria mollitieque diffluentes depingunt. Audi, ut exemplum adhibeam, Euripidem de Paride :

> Τὴν προδότιν (Helenam scilicet), ἣ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικί-
> περὶ τῶν σκέλοιν ἰδοῦσα καὶ τὸν χρύσεον [λους
> κλοιὸν φοροῦντα (Parin) περὶ μέσον τὸν αὐχένα
> ἐξεπτοήθη[1].

Habes hic « illa barbara tegmina crurum[2] », quae sacerdos Cybeles Chloreus gessisse apud Virgilium dicitur. Cetera ejusdem viri arma, ut non fortasse ipsa in tragicis reperire possis, tamen, quum *Troia* nunc, nunc *Phrygia* esse dicantur, quum *peregrina ferrugine* squaleant, agnoscere licet constantem tragicorum rationem qua, ut jam diximus, a pristina illa et Homerica Trojanorum simplicitate desciscunt, et, magis atque magis aucto inter duos populos discrimine, ceteris Orientis gentibus Troadis incolae fiunt simillimi. Huc quoque pertinere videtur omnis illa Priami aedium magnificentia, illae auratae trabes, illi

> Barbarico postes auro spoliisque superbi[3],

Quum apud Homerum lapidibus bene laevigatis[4] nitere tantum quinquaginta thalami dicantur ; quan-

1 Eurip., *Cyclops*, v. 181 et seq.
2. *Aen.* XI, 777.
3. *Aen.* II, 504.
4. *Il.* VI, 243.

quam hic Ennii versus Maro sequi videtur [1]; sed Ennius ipse pro imitatore, ut non fortasse unius cujusdam potissimum loci, ita certe ejus, de qua sermo est, tragicorum rationis, haberi et ipse debet.

Nuptias Romano more celebratas in Aeneide Lerschius deprehendit. Eximendus certe locus hic de Amata :

> Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
> Sustinet et Turni nataeque canit hymenaeos [2].

Haud aliter apud Euripidem matres in nuptiis filiarum δᾳδουχεῖν dicuntur [3]. Hic ergo Virgilius Graecam consuetudinem, dum poetam tragicum sequitur, ad Latinam feminam transfert.

Quam multum inter naves Homericas Virgilianasque intersit in promptu est videre. Apud poetam Graecum nulla de remorum ordinibus fit mentio; unde conjicere licet Trojanis temporibus uniremes tantum fuisse. Classis autem Aeneae et biremibus et triremibus constat. Videntur naves Homericae nullo nomine distinctae fuisse; quis autem et Pristin et Chimaeram et Syllam naves in Aeneide memoratas ignorat? Apud Homerum, nec *rostra*, nec *tutelae* nec

1. O pater, o patria, o Priami domus,
Saeptum alti sono cardine templum!
Vidi ego te astante ope *barbarica*
Tectis *caelatis lacunatis*,
Auro ebore instructam regifice,

Cf. M. Patin, *Études sur la poésie latine*, II, p. 129.

2. *Aen.* VII, 397.

3. Cf. Eurip., *Troad.* 515 et Schol. ad hunc locum; *Iph. in Aul.* 732; *Medea*, 1026. Plinius tabulam Aetionis qua anus novam nuptam antecedebat facem praeferens, describit (*H. N.* 35, 10, 30).

insignia usquam exstant; apud Virgilium naves Aeneae *rostris tridentibus*[1] maria findunt, perinde atque illae quas in Pompeiorum picturis, ad similitudinem navium Romanorum haud dubie adumbratas, videre licet; in nymphas naves conversae *rostris*[2] pronae merguntur, quasi eas in navalibus Ostiensibus, non sub Antandro, Romani operarii, non Trojani essent fabricati. Tot apud Virgilium *insignia* navium quot *nomina*, quum nomina ab insignibus sint data. *Tutelam* autem quae dei aut deae cujusdam eminentem in puppi imaginem referat habet « Aenaeia puppis » :

Imminet Ida super profugis gratissima Teucris[3],

nec ea caret navis Abantis, sed

Aurato fulgebat Apolline puppis[4].

Quam audaciam poetae in heroicum tempus recentiorum inventa transferentis si mirabere, cogita viam ab Euripide quoque praemunitam fuisse; quippe apud quem et Minerva in Thesei nave currui alato insistat et Alpheus in taurum mutatus cornua e nave Nestoris erigat, et Nymphae auratae in Achillis puppi insideant[5] et in Boeotorum navibus Cadmus aureum draconem gerens exstet[6].

1. *Aen.* V, 143.
2. *Aen.* IX, 119.
3. X, 158.
4. X, 171.
5. *Iphig. in Aulide*, 240, 246, 273.
6. *Ibid.*, v. 256 :

Τοῖς δὲ Κάδμος ἦν
χρύσεον δράκοντ' ἔχων
ἀμφὶ ναῶν κόρυμβα.

Dubitatum est utrum Cadmus draconem tenens esset navis

Quaedam et alia audendi exempla quae Virgilius secutus est apud Graecos reperias. Constat fere Homericis temporibus *artem scribendi* nondum excogitatam fuisse; quod non obstat quominus memoretur verba quaedam in equo durateo fuisse inscripta[1]: haec, si credas Attio, fabulam cujusdam poetae Graeci in latinam Linguam vertenti :

Minervae donum omnipotenti hoc abeuntes Danai dant.

Illa si Hygino,

Danai Minervae dono dant.

Ne igitur mireris Aenean templi postibus affigere arma cum titulo :

Aeneas haec de Danais victoribus arma[2].

Excusatur poeta totius antiquitatis ac poetarum praesertim consuetudine.

Quid dicam de more uni tantum pedi peronis aptandi? De quo primus Macrobius : « hunc morem in Italia fuisse ut uno pede calceato, altero nudo iretur ad bellum, nusquam adhuc quod sciam reperi, sed eam Graecorum nonnullis consuetudinem fuisse locuplete auctore jam palam faciam.....

tutela, σῆμα, σημεῖον, an *insigne*, παράσημον. Etenim Etymol. M. ad ἄφλαστον· διαφέρει δὲ τῶν κορύμβων· ἄφλαστα μὲν λέγεται τὰ πρυμνήσια, κόρυμβα τὰ πρωρήσια.... Sed Becker in *Charicles* bene monuit apud poetas ἄφλαστα ac κόρυμβα aliquando pro eadem re poni; in his autem Euripidis versibus non posse insigne describi, quum de aliarum navium tutela agatur.

1. Cf. Rossignol, *Artistes homériques*, p. 28 et suiv.

2. *Aen.* III, 288. — Cf. Eurip., *Troades*, 1188 : Τὶ καί ποτε γράψειεν ἄν σε μουσοποιὸς ἐν τάφῳ; etc.

morem vero Aetolis fuisse uno tantummodo pede calceato in bellum ire ostendit clarissimus scriptor Euripides tragicus, in cujus tragoedia quae *Meleager* inscribitur, nuntius inducitur describens quo quisque habitu fuerit ex ducibus qui ad aprum capiendum convenerant ». Aetolorum vero utrum ad consuetudinem veterem atque oblitteratam, an ad praesentem et adhuc vigentem Euripides allusit? Aetolos, ut videtur, aequales poeta antiquitatum satis incuriosus in animo habuit. At Meleager, si vixit unquam, ante Homerum certe vixit, quum apud Homerum memoretur; miscentem igitur tempora poetam secutus poeta Romanus non solum tempora sed et populos miscet [1].

Incertum est an heroico aevo arma foribus templorum affigere solerent, quamvis nihil obstare videatur quin hanc consuetudinem pro vetustissima habeamus; at de ejus origine exploranda alius viderit: Euripi-

1. Non tamen omittenda sunt quae Macrobius laudatis supra verbis addit : « in qua quidem re mirari est poetae hujus occultissimam diligentiam; qui quum legisset Hernicos, quorum est Anagnia, a Pelasgis oriundos appellatosque ita a Pelasgo quodam duce suo qui Hernicus nominabatur, morem quem de Aetolia legerat Hernicis assignavit, qui sunt vetus colonia Pelasgorum ». Quae res si ita se haberet, videretur Virgilius quamdam historicam veritatem secutus esse; sed de his omnibus fortasse nimia subtilitate disputat Macrobius. Concedendum est aliquando poetam et varietati tantummodo consuluisse. — Ceterum haec consuetudo inter *communia* potest referri. Qua certe usos fuisse Plataeenses (Thuc., 2, 22), Samnites (LIX, 40) constat. Lerschius laudat Vegetium, I, 20, de peditibus qui apud antiquos ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere. Quod vero nunc pes dexter, nunc sinister nudus fuisse dicitur, non videtur magnopere curandum esse.

des certe Neoptolemum, in fabula quae *Andromache* inscribitur, arma de porticu diripientem inducit[1] : hoc fere modo Virgilius hunc usum in Aeneide memorat, heroicarum consuetudinum omnino, ut videtur, securus. Nec aliud fortasse de versu illo Virgiliano putandum est quem nonnulli interpretes ad res Romanas retulere :

Laocoon *ductus* Neptuno sorte sacerdos[2].

Quippe et apud Homerum nulla mentio est sacerdotes sorte fuisse ductos, et apud Romanos constat hunc aliquando eligendi morem usurpatum fuisse[3]; sed ansam poetae videtur potius dedisse Sophocles in Laocoonte, qua ex fabula nihil exstat, exstat vero argumentum in Hygino : « Laocoon Acoetis filius, Anchisae frater, Apollinis sacerdos, contra voluntatem Apollinis cum sororem duxisset atque liberos procreasset *sorte dictus est* ut sacrum faceret Neptuno ad littus[4]... ». Quid igitur ex omnibus locis quos attulimus colligendum est? Illud scilicet, quod jam in principio posuimus, esse quamdam in Aeneide commenticiam antiquitatem, quam Virgilius aut jam a poetis Graecis excogitatam accepit, aut eorumdem exemplo ipse excogitavit. Frustra autem labores si hanc vel ad res Romanas, vel ad heroicas referre velis[5].

1. Eurip., *Andr.* v. 1120.
2. *Aen.* II, 201.
3. Cf. Tac., *Ann.* I, 56.
4. Cf. Welcker, *Gr. Tr.*, p. 152.
5. Huc quoque videntur pertinere quae de *carchesiis* et *cymbiis* Macrobius disserit (*Saturn.* V, 21). Haec enim vasa Homero prorsus incognita, a supellectili Romana aliena erant. Καρχήσια in Asclepiadis et Sapphus carminibus nominari monstrat Macrobius. « Sed nec cymbia, addit, in

Nec solum poetae, sed et artifices quoque commenticiam illam antiquitatem, quam imitaretur Virgilius, quasi praetendebant. Etenim quamvis fere nusquam affirmare possis certa quaedam artis opera Virgilii animo fuisse obversata, tamen si cum monumentis antiquis Aeneiden comparaveris, heroicos mores eodem fere modo ab artificibus expressos quo a poeta descriptos fuisse reperies. Ut nonnulla exempla afferam, si ad Dianam respicies quam nobis spectandam plurima veterum signa praestant, pharetratam scilicet succinctamque, mire cum hoc habitu congruere videbuntur versus quibus depingitur Venus, quum, cultu venatorio conspicua sese erranti Aeneae obviam offert :

> Nuda genu nodoque sinus collecta fluentes[1].
> . . . .
> Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram
> Purpureoque alte suras vincire cothurno[2].

Apud Homerum vero, quamvis jam sagittis dicatur gaudere[3] et in silvis dominari[4], nondum tamen videtur cultum illum venaticum induisse.

Neptunum suum Homerus quidem et curru donat et imperio in minores quosdam Deos, maris incolas; ubinam autem illum comitatum reperies quo apud Virgilium circumdatus per maria invehitur :

> Tum variae comitum facies, immania cete,
> Et senior Glauci chorus Inousque Palaemon

nostro sermone reperies; est enim a Graecorum paucis relatum». Tum Philemonem et Anaximandrum laudat.

1. *Aen.* I, 320.
2. 336.
3. *Il.* XXI, 481.
4. *Il.* XXI, 470, 471.

Tritonesque citi Phorcique exercitus omnis :
Laeva tenent Thetis et Melite Panopeaque virgo,
Nesaee Spioque Thaliaque Cymodoceque[1].

Nempe solebant artifices Neptuno hanc comitum pompam ac multitudinem assignare, ut apparet et ex multis monumentis ad nos usque servatis, et ex opere illo praeclaro apud Plinium descripto[2]; in quo non solum Thetis et Achilles quos Virgilius e comitatu debuit excludere, sed Nereides supra Delphinos et cete aut hippocampos sedentes, item Tritones chorusque Phorci et pistrices ac multa alia marina deum prosequebantur. Quid quod Homericus Poseidon vehementiam quamdam ac ferociam indolis videtur prae se ferre, quod ei partes, non mansuetudinis ac pacis, sed saevitiae ac turbarum mandantur, Neptunus autem apud Virgilium « placidum caput[3] » supra fluctus erigere dicitur? Non valde quidem eum falli putem qui contendat illam vultus sedati speciem ab artis operibus petitam esse, quum sciamus communem hunc esse artificum veterum consuetudinem ut pulchritudinem oris integram servare mallent quam perturbationes animi exprimere.

Nec ab hoc loco alienum est qualis sit *Tiberis* habitus apud Virgilium commemorare :

eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus et crines umbrosa tegebat arundo[4].

quam dei imaginem omnibus numeris paene absolutam habes, si versus quoque memineris :

Corniger, Hesperidum fluvius regnator aquarum[5].

1. *Aen.* V, 822.
2. *H. N.* XXXV, 5.
3. *Aen.* I, 127. — 4. VIII, 33. — 5. VIII, 77.

Nihil ejusmodi apud Homerum occurrit, quamvis non raro Fluviis quoque in humanam faciem conversis personam imposuerit. Unde igitur haec duxit Virgilius? Fictores scilicet et pictores videtur aemulatus fuisse, qui et cornua et lineam vestem et arundineam coronam fluminibus, ut ex innumerabilibus monumentis constat, dare solent[1]. Quod vero, *Cybelen* et turritam et a leonibus vectam poeta describit, ita vulgata est in artis operibus haec imago ut ad quod potissimum lectorem vocem, paene haeream; praeclara tamen est illa Cybele Romae in atrio domus cardinalis Caesii reperta et a Grutero descripta[2] : « Cybele sive Idaea Deorum mater turrita in curru sedens a leonibus vehitur dextra spicas gerens miliumque, sinistra tympanum tenens ». Tympanum quoque, ut non in manum deae dederit, ita retinuit tamen Virgilius, cum Numanus inter alia quibus Trojanos increpat, haec jacit :

> Tympana vos buxusque vocant Berecynthia matris
> Idaeae[3].

Quid dicam de illa eleganti ac vivida, sed minime Homerica *Bacchi* descriptione ?

> Nec qui pampineis victor juga flectit habenis
> Liber agens celso Nysae de vertice tigres[4].

Nimirum ille Bacchus est quem in vasorum picturis, in nummis, in sepulchris quibusdam adhuc conspicere licet[5]. Quid quod *Scylla* « pulchro pectore virgo

1. Cf. O. Müller, *Handb. d. Arch.*, § 409.
2. *Inscript. latinae*, pl. XXVII.
3. *Aen.* IX, 619.
4. *Aen.* VI, 805.
5. Cf. Saglio, *Dict. des antiq.*, art. Bacchus, p. 622. C'est

pube tenus » dicitur! Quantum mutata ab illo monstro quod in Odyssea sex draconum capita triplici dentium ordine instructa, erigit! Agnosco hic quoque, ut supra, Graecorum opificum consuetudinem qua pulchritudinem quamdam vel in monstris effingendis sequebantur.

Quam *aegidis* formam fuisse crediderit Homerus non satis constat, hoc tantum docet aegidem fuisse atro colore, velleris modo horrentem, fimbria quadam aurea circumdatam ita ut eam nimbo similem fere possis habere. Si cum hac descriptione Virgilianos versus contuleris :

> Aegidaque horriferam, turbatae Palladis arma,
> Certatim squamis serpentum auroque polibant
> Connexosque angues ipsamque in pectore Divae
> Gorgona, desecto vertentem lumina collo[1],

quid intersit, videre est in promptu : jam aegis pro loricae genere accipienda est, quam formam arte nobilitatam fuisse satis multa monumenta declarant [2].

aussi de l'Asie Mineure que sont venus dans le cortége du dieu les panthères, les tigres, les lynx et en général toutes les espèces félines à peau tachetée ou vergetée qui n'apparaissent qu'*assez tard* sur les monuments. La plus habituelle est la panthère.... Quelquefois le dieu chevauche sur ce fauve; plus souvent des *panthères traînent son char comme sur des monnaies de Catane, et sur beaucoup de sarcophages de l'époque romaine.*

1. *Aen.* VIII, 435.

2. Cf. Saglio, *Dict. des Antiquités*, art. Aegis, p. 94. D'autres sculptures nous montrent l'égide agrafée sur l'épaule comme une chlamyde ou comme une nébride; telle on la voit dans les belles statues des galeries de Dresde et de Cassel; dans d'autres encore au Louvre, au Vatican où

Haec eadem commenticia antiquitas, ab arte profecta aut potius cum arte communis, in iis etiam eminet quae ad heroas et ad vitae publicae privatae consuetudines pertinent. Quali cultu atque habitu fuerint *Amazones* Homericae vix liquet; videntur tamen non multum cultui habituique ceterarum feminarum dissimiles fuisse, quum poeta in moribus describendis tam copiosus, vix hoc nos tantum doceat, eas virilem animum in muliebri corpore gessisse. Apud Virgilium vero, uno latere nudato, securi armatae ingrediuntur; unde hoc petitum nisi ab artificum veterum solemni more[1], nisi malis artifices suum a poetis morem petiisse? Utcumque vero se res habet, Virgilius, dum antiquitatem meram ac veram deserit, fictam, sed usitatam et pro genuina jamdudum habitam sequitur.

Jam vidimus apud Euripidem *Hectoris* corpus, non circa Patrocli pyram, verum circa Ilii muros raptatum fuisse; quem poetam Virgilius imitatur, nisi tamen ad picturas aut anaglypha quaedam respexerit; nam fere in omnibus vasis gemmisque, ceteris artis operibus quae Romanis temporibus fuerunt facta, videre est currui insidentem Achillem, alligatum viri corpus qui terram capillis verrat; pone autem exstant moenia quae non nisi Trojana haberi possunt[2].

elle se réduit à une bande étroite passée en travers de la poitrine comme une écharpe; ou bien elle a l'apparence d'une cuirasse enserrant le buste, plus ordinairement consistant en deux pectoraux réunis par la tête de Méduse. — Quamvis aliquid inter illas formas intersit, potest haec aut illa versibus Virgilii significari.

1. Cf. Saglio, *Dict. des Antiq.*, art. *Amazones*.

2. Cf. Raoul Rochette, *Monum. inédits*, p. 280, ubi descri-

Hanc autem *arborem*, quae in atrio deos penates umbra involvit,

> Aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe
> Ingens ara fuit juxtaque veterrima laurus
> Incumbens arae atque umbra complexa Penates,

contenderunt interpretes, quum apud Homerum non reperirent, ideo fuisse a Virgilio in media Priami regia positam quia Romani solerent et in compluvio arbores conserere; sed jam artifices Graeci initium fecerant qui, quum Priami mortem sibi effingendam sumerent, arae, ad quam senex confugeret, laurum apponere consuerant [1]. Quid quod in *tabula iliaca*, quod in statuis, quod in vasorum picturis semper eodem cultu Trojani conspicui adstant quo apud Virgilium ornati inducuntur? Haec illa mitra est, illa mitrae redimicula, illae tunicarum manicae quae Numanus Trojanis objicit [2]; hae illae sunt braccae quibus jam Euripides

bitur praefericulum (?) ultionem Achillis de Hectore exhibens. — « Le sujet entier se développe au pied des murs de Troie, conformément à la tradition qui paraît avoir prévalu à l'époque romaine et qui se trouve en effet suivie sur la plupart des monuments produits à cette époque, tels que les pierres gravées, les lampes et les bas-reliefs.... ». In eo tamen Virgilius cum Homero convenit quod bigis corpus raptatum fuisse dicit, dum in plerisque monumentis quadrigas videre est. — Apud eumdem scriptorem (*Mon. inéd.* pl. XVIII) exempla invenies.

1. Raoul Rochette, *ibid.*, p. 301, vase peint de la collection du duc de Blacas. — Videre est laurum aramque. Aulam vero Graecae domus agnoscit interpres quum pars circuli, aperturam quamdam, ὀπὴν scilicet Homericam indicantis, supra argumentum delineata fuerit.

2. Cf. Raoul Rochette, *Mon. inéd*, p. 272. « Priam, dans les monuments figurés, est représenté la tête couverte de la

Paridem induit, Virgilius Chloreum ; adeo tum quaedam vigebat ratio poetarum atque artificum communis, ab Homericis Heroicisque rationibus longe diversa, Trojanos et quidquid ad Iliacum bellum spectabat, repraesentandi. Non est igitur quod mireris medicum Iapidem retorto amictu succinctum describi : is enim Aesculapii fere in picturis aut in statuis habitus [1]; *chlamydem* geri ab Ascanio et a Didone quamvis chlamys in supellectili Homerica nulla sit ; geritur chlamys ab adolescentibus tum in multis aliis picturis quarum argumenta ab heroico aevo sunt repetita, tum in pictura Herculanensi a Theseo qui Centauri armos genu obnixo comprimit, et coma arrepta jugulo semiferi gladium intentat [2]; clypeos argumentis insigniri quum et fulmen exsculptum aliquando Ulyssis clypeus gerat, et in ea Pamphili gemma, quae dicitur, caput Medusae clypeus quidam ostendat [3]; *lyram* septem jam chordis instructam Orpheo dari, quum constet lyrae quattuor tantum chordas initio fuisse; in monumentis, sive Achilles a Chirone sive Olympus a Marsya fidibus canere doceatur, lyrae septem chordas aut etiam plures licet

mitre phrygienne; de même Paris ». Cf. Visconti, *Il Museo, Pio-Clementino*, t. II, p. 68, note : « L'uso di rappresentare gli eroi Trojani e Lidj col loro abito Asiatico per distinzione da Greci eroi fu seguito da Greci artifici ne fu novita introdutto da' Romani artisti, come talano ha pensato ». (*Antol. Rom.* 1785, n° XLVIII.) — Cf. Overbeck, *Die Bildwerke zum Thebisch n und Troischen Heldenkreis*, tabula XVI, 12 et passim.

1. Conf. Dict. de Saglio, Aesculapius.

2. Cf. *Herculanum et Pompei*, par Roux aîné, t. II, tabula XVIII. Cf. Overbeck, *Die Bildwerke*, tabula XVI, 21.

3. Cf. Overbeck, *Die Bildwerke*, tab. XVI, 11, 20.

numerare [1]; tubae incurvae genus, *lituum* a Virgilio vocatum Miseno attribui, quum in clypeo quem dicunt Scipionis, Talthybius instrumentum haud sane absimile teneat [2]; *crinitum* autem Iopam describi quum nulla peculiaris de longioribus Demodoci capillis apud Homerum mentio fuerit facta; quotiescumque enim occurrit Apollinis citharoedi imago, caesariem promissam et in humeros utrobique fusam intuemur [3]. Omnia quidem haec recentiora, sed ita arte commendata ac celebrata ut poetae Homerica etiam argumenta explicanti facilius esset ab Homero quam ab illa commenticia antiquitate recedere. Itaque, ut paucis verbis quidquid ad id usque loci disputatum est comprehendamus, quum multa apud Virgilium cum Homericis tum moribus, tum opinionibus fabulisque minime conveniant, haec in tria genera placet distribuere : illa scilicet quae vere Romana sunt, tum ea quae quasi communi poetarum et artificum mendacio heroicae aetati fuerunt assignata.

1. Cf. *Herculanum et Pompei*, III, tab. III. Cf. Eurip., *Iph. in Tauris*, 1129 : κέλαδον ἑπτατονου λύρας. Jam vero in hymno Homerico ad Mercurium, v. 51 : Ἑπτὰ δὲ σύμφωνους ὀΐων ἐτανύσσατο χόρδας.

2. Cf. Millin, *Galerie mythol* , pl. 136, nᵉ 587. — Tuba autem, quae apud Homerum semel, saepius apud Virgilium occurrit, *Tyrrhena* in Aeneide vocatur (VIII, 526). Tuscam tubae originem poeta forsan voluit demonstrare (cf. Pl., *N. H.*, VII, 54). Non tamen obliviscendum est apud tragicos tubam quoque Tyrrhenam dici. Exempli gratia, cf. Aesch., *Eum.*, 567 : διάτορος Τηρσηνικὴ σάλπιγξ, et Eurip., *Phoen.* 1377 : Τυρσηνικῆς σάλπιγγος ἠχή.

3. Cf. *Mus. Pio Clem.*, 1, 16 *Dict. des Ant.*, Saglio, fig. 379 et 380. Fröhner, *Notice de la sculpt. antiq.*, n° 82.

V

Illis vero semel remotis, jam quaerendum est an mores in Aeneide descripti heroicis ex aliqua parte similes esse videantur.

Res in universum et primo aspectu consideranti proximum vero fit oportuisse ut aliquando Virgilius heroicos illos mores, de quibus sermo est, expresserit. Deflectentem enim a rerum Homericarum imitatione, plurima, ut videtur, revocatura erant : primum viro illi, Aeneae scilicet, cujus se profitetur res gestas ae cursus enarraturum esse, partes, ut non primae, ita certe insignes in Iliade mandantur : debuit igitur heros, quum e carmine Homerico in Aeneidem commearet, non solum magna ex parte indolem retinere, sed etiam mores ac consuetudines aequalium secum importare. Quidam enim est rerum ac temporum color ita cum personis cohaerens ut has carmini adhibere, illum vero omnino mutare ac delere vix queas. Quantumvis multa quasi picturae aut addideris aut ademeris, necesse est ut pigmentum a primo artifice inductum appareat. Finge tibi animo Agamemnonem, aut alium quemlibet e Graecis heroibus : continuo tibi videris inter currus bellicos versari, virorum quasi composita inter se paria prospicere, convicia hinc inde ante dimicationem ab utroque adversario jactata audire ; conventus autem ducum, coenae ab ipsis paratae, sacra quibus

operantur, preces imperatoriae quas diis adhibent, tum virtutes vitiaque, ferocia, doloris impatientia, jactatio, memoriam subeunt; quam morum simplicitatem atque asperitatem licet quidem corrigere atque, ut ita dicam, excolere; omnino vero excludere non magis licet quam Homeri gloriam exstinctam velle. Exemplar quoddam quasi legentibus propositum est ad quod animum oculosque referant: puta eos reluctaturos esse, si, quum jusseris eos, ipsa argumenti natura, ipsis personarum nominibus, huc respicere, rursus, morum ac consuetudinum subita conversione, in alteram partem coegeris aciem intendere. Itaque, quamvis lege temporis servandi poeta non teneatur, non potest scriptor eruditus atque elegans tempora ita perturbare ut unius aetatis mores, fabula alterius esse videatur, praesertim si fabula ad eam aetatem pertineat, quae a magno poeta descripta, fere melius, quam alia multa secula nostris propiora, innotuit.

Quod quum de quolibet poeta, paulo antiquitatis peritiore, jure diceretur, nescio an maxime Virgilium spectet. Scimus enim quanta admiratione Homerum Romanus poeta fuerit prosecutus; quanto studio non tantum Iliadi, sed Odysseae etiam suam Aeneidem quodammodo similem facere enisus sit; quam diligenter non tantum homericam rerum disponendarum rationem, sed eloquendi modum sit imitatus; quam multas comparationes translationesve ab Homero petitas aut ad verbum paene verterit, aut leviter mutatas rursus ediderit; quam saepe, ut verbo ipsius utar, Homericam illam clavam subripuerit, ita ea usurus ut non alienam gerere videatur. Mirum sane foret poetam, dum ita se alteri

poetae applicet, sententias et verba tantum decerpere; consuetudines autem non aliquando easdem exprimere, praesertim si materia non adeo diversa sit, si tempora non adeo longo intervallo sint discreta, si heroes duorum carminum inter se confabulari potuerint, imo si alterum poema cum altero una quadam rerum continuatione, annecti videatur.

Neque enim oblivisci decet Virgilium hac mente Aeneidem scripsisse ut ostenderet Romanos a Trojanis oriundos esse, Italiam autem a deis fuisse electam ubi, adscitis indigenarum viribus, mixto sanguine, victi Trojani se reficerent, inde ad terras victoria perlustrandas ac sua stirpe implendas postea erupturi. Quod consilium ut ad exitum perduceret, quid melius excogitare poterat quam si mores heroicos cum italicis romanisve apte jungeret, si heroas nondum omnino Romanos, Romanos non jam omnino heroum ritu viventes agentesque quasi in scenam induceret? Hinc sane fidem legentibus licebat facere et

Romanos rerum dominos gentemque togatam [1]

suas in Asia cunas habuisse et Caesarem *pulchra origine Trojanum natum fuisse* [2]. Sin vero aut heroicis moribus effingendis tantum studuisset, aut non nisi Romanos voluisset praestare, ipse vinculum quo Trojanos atque Italos esse conjunctos et putabat ipse et aequales persuasum habebant, abrupisset. Tum Aeneidos proposito color universi operis quodammodo repugnavisset; quod vitium in Virgilii ingenium cadere posse non videtur.

1. *Aen.* I, 282.
2. I, 286.

Ceterum, si non jam ad Aeneidos propositum, verum ad ipsam poeticae naturam legemque respexeris, judicabis certe materiam a poeta sumptam eo commodiorem ac feliciorem esse quo majorem varietatem atque ampliorem rerum copiam intra se, ut ita dicam, contineat. Quod si vero ea est ut poeta possit ab alia regione in aliam longe diversam commeare, nunc has consuetudines, nunc illas prioribus prorsus dissimiles describere, ficta veris miscere, recentioribus antiqua opponere, heroica cum seculi elegantioris vita conferre, nulla certe uberior ac pulchrior dici poterit [1]. Talem autem esse Aeneidos materiam quis non videt, quum in Asia nunc, nunc in Italia versemur, quum mare Aegeum tot insulis distinctum perlustremus, quum oras Graeciae legamus, quum in Sicilia ac Carthagine commoremur, quum haec dubia tempora, quae origines dicuntur, et ad antiquitatem remotissimam pertineant et quidquid postea futurum sit quasi in sinu recondant? Quas opes in medio sitas si de composito neglexisset, si parte omissa in parte tantum elaboranda studium atque operam consumpsisset, quam sententiam de eo ferremus? poetam scilicet in eli-

1. Quam sententiam confirmat Châteaubriand (*Les Martyrs*, préface) : « Je me suis peut-être laissé éblouir par le sujet; il m'a semblé fécond. On voit, en effet, au premier coup d'œil, qu'il met à ma disposition l'antiquité profane et sacrée. En outre, j'ai trouvé moyen, par le récit et par le cours des événements, d'amener la peinture des différentes provinces de l'empire romain : j'ai conduit le lecteur chez les Francs et les Gaulois, au berceau de nos ancêtres. La Grèce, l'Italie, la Judée, l'Egypte, Sparte, Athènes, Rome, Naples, Jérusalem, Memphis, les vallons de l'Arcadie, les déserts de la Thébaïde sont les autres points de vue ou les perspectives du tableau ».

gendo argumento non erravisse, defecisse autem in explicando, arte et industria caruisse, sibi ipsi defuisse ; qua reprehensione dignum esse tantum poetam vix suspicari licet, quum vel mediocri ingenio illa morum ac Romanorum discrepantia (et nescio an plus aequo) arrisisset.

At enim ita rerum natura comparatum est, ut poeta, etiamsi velit, mores aetatis alienae non magis describere quam ipse re vera induere possit ; describentem vero sui aequales non legerent utpote qui vividam sui imaginem, non pallidum quoddam priorum aetatum simulacrum in carmine requirant. Operae pretium est Lerschium hic audire : « Maroni quoque quam maxime arduum fuisse dico hoc, si quidem secutus esset, studium, se in eam sentiendi et agendi rationem penitus mutandi quae priscae illius aetatis erat propria et insignis. Quod is quidem solus negabit qui Virgilium unum ex omnibus tali fuisse ingenio praedicet, ut illam naturae vitaeque publicae et privatae vim superaverit, et primus Romana omnia linquens cum illa Trojana aetate in fingenda Aeneide quasi in unum ipse coaluerit [1] ». Quae disputatio non omnino vera haberi debet. Lerschius quidem commemorat Goethio similia tentanti minus successisse. « Quotus enim quisque est, inquit, qui Goethii carmen quod inscribitur : *Westöstlicher Divan*, Plateni, Hammeri, Ruckertii carmina orientalia manibus terat ? Attamen nos ii semper eramus qui quae ab aliis accepissemus, quam citissime ac facillime in succum verteremus et sanguinem [2] ». Quosdam autem contra, non illos

1. Lersch., *De morum in Aeneide habitu*, p. 14 et 15.
2. Lersch., nota ad paginam 7.

quidem germanos, praesto est nominare qui felicius Goethio ipso rem aggressi fuisse videntur. Multa quidem apud Telemachi scriptorem reperias quae ad usus moresque decimi septimi saeculi sunt referenda; quam multis autem locis vera ac mera antiquitatis indoles impressa eminet, ita ut aliquando paene te credas opere quodam perantiquo, in Graecia scripto delectari? Quod assequi quum sit, fatemur quidem, valde arduum, negamus ultra vires ingenii humani esse; incredibili rerum antiquarum studio, et quadam cum antiquis commorandi ac paene pernoctandi consuetudine opus est. Quarum virtutum quum particeps quoque esset *Martyrum* scriptor, in pedestri carmine praeclaram antiquitatis tum heroicae, tum christianae imaginem exhibuit, non ita tamen ut non nimium aliquid inesse interdum existimes; utcumque est, confirmatur et ejus exemplo poetam non necessario sui temporis ac patriae finibus circumscribi, sed posse late ac longe evagari, tempora praeterita repetere aut futura animo praesumere, hac tantum posita lege ut lectorem non nisi paratum aut pedetentim edoctum in minus nota rapiat. Quae quum ita sint, potuit sane Virgilius heroica Romanis miscere, atque ita miscere ut ne quid male conveniret; miscuit vero : hoc superest demonstrandum quum jam ostenderimus eam fuisse materiam ut heroica Romanis subtexere poeta et debuerit, et salvis poeticae legibus potuerit.

VI

Atqui, ne videamur poetam nimium discerpere ita ut vix agnoscendus sit, placet, sicuti jam diximus, non versus quosdam studiosius quaesitos in medium proferre, sed quasdam operis partes nobis perlustrandas atque explicandas sumere.

Hoc vero praemonendum putamus, quod jam e supra dictis quivis intelligat, non posse plerumque certis argumentis demonstrari hoc Homericum esse, illud Romanum; res enim tota antiquitate notae atque usurpatae ita multae sunt ut quum dijudicare velis utrum poeta graecisset an, ut ita dicam, patrisset, exempla in utramque partem suppetant. Sed satis erit nobis si ostendemus Homericae aetatis indolem aut in universum servatam aut certe non omnino deletam fuisse. Qui aliud sibi demonstrandum sumpserit, veremur ne, quae tum objici poterunt, minus dissolvere queat.

Atque ut ab iis ordiamur quae ab heroicis moribus plurimum recedunt, convivium illud in Didonis aedibus paratum consideremus, quod fere cuncti interpretes omnino Romanum contenderunt. Et Romanum quidem est ex magna parte. Jam primum convivae non sedent, sed discumbunt :

> Jam pater Aeneas et jam Trojana juventus
> Conveniunt stratoque super discumbitur auro[1].

1. *Aen.* I, 699.

Quam rem ab homericis moribus prorsus esse diversam, sciunt omnes qui meminerunt in aedibus Alcinoi convivas in soliis parietem ambientibus insidere [1]. Tum vino in mensam libatur; qui ritus, si Servio creditur, Romanus est; certe apud Homerum non invenitur. Tum mensae duae sunt, altera, epularum, poculorum altera; tum crateres floribus, non jam vino coronantur, sive Maro perperam Homerica vocabula, κρητῆρας ἐπεστέψαντο, intellexerit atque interpretatus sit, sive ut potius videtur, rem apud Romanos fieri solitam voluerit commemorare. Tum ignis alendi in Penatum ara cura famulis mandatur [2], quod munus, quum deos Penates apud Homerum nusquam reperias, nullum apud eumdem esse quoque necesse est. Tum regina Bitiae poculum in manum dat eumque ut bibat admonet, qui mos sane Graecus dicitur, sed apud Graecos heroico temporo nondum usurpatus fuerat, tempore autem Virgilii jam dudum Romae vigebat. Tum ipsa rerum magnificentia adeo ab homerica

1. Didonem quoque discumbere non affirmaverim; putat tamen Lerschius et rem ad Augustei aevi mores refert. Ita enim legitur apud Virgilium

> Cum venit, aulaeis jam se regina superbis
> Aurea *composuit* sponda mediamque locavit (I, 697).

Etenim, quia dicitur regina se *composuisse*, non sequitur ut discumbat. Ceterum cum Lerschio non facit Vaticani Virgilii pictura qua sedens inter Aenean alterumque virum cubito innixos Dido effingitur. Cf. Bartoli, *Virg. cod. picturae*, p. 41. Saglio, *Dict. des antiq.*, ad verb. *Abolla*, fig. 19.

2. Haec consuetudo Macrobii tempore adhuc vigebat, ut patet e *Saturn.* lib. I, c. XXIV. « Inter haec servilis moderator obsequii cui cura vel *adolendi Penates* vel struendi penum et domesticorum actuum ministros regendi admonet.... ».

aetate discrepat, ut quamvis domum Alcinoi in Odyssea pulcherrimam atque opulentissimam fuisse videamus, tamen de tam lauta supellectili nulla mentio fiat. Apud Virgilium vero non solum vela picta, quae ab aula Attali, ubi primum reperta sunt, dicta fuerunt aulaea, convivarum capiti, in modum tentorii cujusdam superimpendent [1], sed et argentum in mensis exponitur, quum mensas hujuscemodi nemo Romae nisi post Asiam devictam viderit [2], et super lectos

Arte laboratae vestes ostroque superbo [3]

candescunt, et lychni e laquearibus auratis dependent, quum laquearia primum post Carthaginem eversam fuerint inaurata [4], quum lychni, si Athenaeo fidem adhibebis [5], non ita jam pridem reperti, et « tonsis mantelia villis » afferuntur, quum ne villo-

1. Neque enim aulaea vestes super reginae spondam stratas esse existimo. Lecto Servii loco, de sensu ambigi non potest : « Ideo autem etiam in domibus tendebantur aulaea ut imitatio tentoriorum fieret, sub quibus bellantes semper habitavere majores. Unde et in thalamis hoc fieri hodie conspicimus. Varro tamen dicit vela solere suspendi ad excipiendum pulverem quia usus camerae ignorabatur. Unde Horatius : Interea suspensa graves aulaea ruinas In patinam fecere, trahentia pulveris atri Quantum non aquilo Campanis excitat agris ». Male ergo Rich : « tapisseries dont on se servait pour décorer les murs d'une salle à manger ». Animadverte, quaeso, inter Varronem et Servium non de sensu ambigi, sed de rei origine; adeo significatio apud Romanos haud dubia erat.

2. Pline, *Hist. Nat.*, XXXIV, 3, 14; Tite-Live, XXXIX, 6, 7.

3. *Aen.* I, 689.

4. Pline, *Hist. Nat.*, XXXIII, 18.

5. Ath., XV, 700 : οὐ παλαιὸν δ' εὕρημα λύχνος · φλογὶ δ' οἱ παλαιοὶ τῆς τι δᾳδὸς καὶ τῶν ἄλλων ξύλων ἐχρῶντο.

sis quidem mappis rudes illi Homeri heroes unquam videantur usi fuisse. Ipse denique Iopas ea canit quae mire cum studiis eruditorum Romanorum atque ipsius Virgilii congruunt, ita ut poeta ideo tantum videatur hunc cantorem inducere, ne materiam sibi dilectam ac jam quodammodo in Georgicis delibatam, non omnino intentatam in Aeneide relinquat.

Quae quum ita sint, rogabis sane quantulus Homericae imitationi relictus fuerit locus; minimus quidem, fatemur, non tamen silentio praetereundus. Nempe inter combibendum invocatur Jupiter et ita invocatur ut deum Homericum agnoscas :

> Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,
> Hunc laetum Tyriisque diem Trojaque profectis
> Esse velis[1].

Ut formula « esse velis » petita sit e consuetudinibus Romanis; ipsum morem Jovis in tali re orandi ab Homero poeta videtur duxisse :

> Ποντόνοε (inquit Alcinous), κρητῆρα κερασσάμενος, μέθυ νεῖμον
> πᾶσιν ἀνὰ μέγαρον, ἵνα καὶ Διὶ τερπικεραύνῳ
> σπείσομεν, ὅσθ' ἱκέτῃσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Ceterum memento quanto apparatu apud Romanos convivia instrui solerent; confer Lucretium effusos suorum aequalium sumptus arguentem[2]; huc advoca Petronium in coena Trimalcionis describenda tam copiosum : cogita tandem non Iopam aliquem sed lyristen et comoedum aut etiam sannionem ac choraulen in triclinia solere induci : Virgilium judicabis tantum a suae aetatis luxuria

1. I, 731.
2. De natura rerum, IV, 1118.

quantum a simplicitate antiqua secessisse nec absurdum putabis hic Macrobii verba usurpare : « heroici seculi pudicitiam et nostri conduxit elegantiam [1] » Fulgore quodam conviviorum Romanorum Virgiliana coena, ait gallicus scriptor [2], clarescit; quod sane verum est, sed simplicitate quadam et religione antiqua temperari hunc fulgorem fateamur necesse est.

Hoc tamen in loco recte dixeris antiquitatem Romanam cum heroica collatam magnopere praegravare. Alter nobis locus explicandus est, si forte heroica latius patere animadvertamus. Sextus liber nobis commodiorem ad disputandum materiam videtur suppeditare.

Multa in hoc quoque Romana esse, multa recentioris aevi quasi nota signata, non est quod negemus. Jam non apud Cimmerios, ut apud Homerum, aversus a sole, aditus patet ad inferos; sed proximas Cumis Orci portas Virgilius fuisse ait, opinionem videlicet secutus quae jam nomen Acherusiae paludi indiderat [3]. Sacrum autem, quod ab Aenea in

1. Macrob., *Saturn.*, II, 1.

2. Sainte-Beuve, *Études sur Virgile*, p. 313.

3. Atqui grammatici antiqui putabant Campaniae littus etiam ab Homero, mutato nomine, descriptum fuisse. Cf. Serv., ad VI, 106 : « Quanquam fingatur in extrema Oceani parte Ulysses fuisse ; quod et ipse Homerus falsum esse ostendit ex qualitate locorum quae commemorantur et tempore navigationis. Dicit enim eum circa (Guelf. I, *a Circeio*) una nocte (al. *circa unam noctem*) navigasse : et ad locum venisse, in quo haec sacra perficit. Quod de Oceano non procedit : de Campania manifestissimum est [ut hisce versibus testatur idem Homerus (*Od.* λ, 19) : Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ κ. τ. λ.]. Praeterea a Baio socio ejus illic mortuo Baias constat esse nominatas. Dicitur etiam vidisse Herculem :

Orcum sese immissuro peragitur, quum pluribus ritibus quam apud Homerum constet, Romanis superstitionibus mixtum fuisse videtur. Etenim Ulysses tantum, postquam fossam gladio excavavit, lacte, melle et vino libat, tum farinam spargit, dein pollicitus se post reditum hostias mactaturum, dona multa mortuis oblaturum, victimas ibidem caedit. *Sacerdos* autem apud Virgilium nigrantes juvencos ante aram *constituit,* quae vox in Romanis sacris erat solemnis; tunc vina in frontem non funduntur, sed *invergunlur,* quod, ut Servius docet, in infernis sacris Romae fiebat, tum summae saetae, e capite decerptae, in ignem injiciuntur; tum *voce vocatur* Hecate, mysticis scilicet quibusdam sonis, non verbis, quod genus Hecates invocandae, si credis Servio, in Italia vigebat; tum *supponuntur* cultri quod verbum mollius ideo usurpari vult Servius ut omne infaustum omen a sacris removeatur; abest autem longe ab Homero omnis hujuscemodi metus. Tum nigra agna Nocti et Terrae, vacca Proserpinae mactantur; tum fit in honorem Plutonis hoc genus sacri quod holocaustum vocatur. Quantum inter se differant Romana religio atque illa Graecorum heroica, jam inde colligere licet, quum posterior tam simplex sit, prior vero nunquam satis multis caeremoniis functam esse se arbitretur[1]. Nec tamen sacrum Virgilianum ab Homerico prorsus discrepat;

ideo quia illic sunt Bauliae.... locus Herculis dictus quasi *Boaulia;* quod illic habuit animalia, quae Geryoni detracta ex Hispania adduxerat ».

1. « Simplicité des offrandes, complication du rituel, tel est, selon Servius, le caractère de la religion romaine ». M. Bréal, *les Tables Eugubines*, art. de la *Revue des Deux Mondes*, 1er nov. 1875.

primum, quum duo sacrorum infernorum genera essent, unum necyomanciae, alterum sciomantiae, Virgilius hoc ab Homero jam tractatum, omisso prorsus altero, et ipse describit. Hoc deinde precor attendas Aenean atque Ulyssem, in sacro peragendo gladio uti, hunc quidem ut scrobem aperiat, illum ut hostias immolet; tum sterilis quoque vaccae in Homero fieri mentionem; tum consuetudinem illam saetas in ignem conjiciendi, ut non ab eodem Odysseae loco, ita ab Homero depromptam atque iisdem paene verbis expressam videri. Sed longius librum evolvamus.

In vestibulo Orci offendimus et Discordiam et Bellum et Famem et Egestatem et Curas ultrices, quae numina, quum nihil sint nisi vis rerum quaedam Deorum nomen obtinens, aetas Homero posterior excogitavit; « mala mentis gaudia » praesertim, quum ab aliqua sapientium doctrina videantur esse profecta, certe in Homericis inferis neque in aditu neque alibi reperias. Quod autem et Centauri et Scyllae biformes et Briareus et Geryon et Lernensis hydra et Chimaera et Gorgones et Harpyae nobis occurrunt, quamvis apud Homerum aut nullo modo memorentur, aut in nulla quidem parte inferorum versari dicantur, tamen vides poetam, ut non fortasse ab heroica antiquitate, ita certe a Graeca eademque remotissima fabulas vulgatas repetiisse. Tum potest quaedam philosophia in hoc Virgiliano loco deprehendi; jam Servius de Centauris stabulantibus : bene *in foribus* quia ea quae contra naturam possunt creari, statim pereunt. De Harpyis autem : aut jam occisas, inquit, intellige : aut, *secundum Platonem et alios*, simulacra, licet vivarum, illic

fuisse. Nam dicunt *esse omnium rerum ideas quasdam, i. e. imagines, ad quarum similitudinem procreantur universa* ». Quae vero Servius de Centauris Harpyisque dicit, ea de aliis monstris dici possint : Orcus, quasi rerum inanium sedes, a poeta habetur ; res vero inanes in duo genera distinguit, eas scilicet quas mens humana excogitavit, illas, ut virorum simulacra, quae olim vitae fuerunt participes : priores in ipso Orci limine, tanquam umbras umbrarum, ut ita dicam, ponit; in ipso Orco posteriores.

Charon non videtur Aeneae tempore jam Graecis notus fuisse; sed quum apud Aeschylum, Euripidem et Aristophanem numen hoc memoretur quasi jam Herculis ac Thesei aevo defunctorum umbras cymba trans Stygem vexisset, quum vero mature in religione Romana quasi civitate donatum fuerit, Virgilius, deo in carmen recepto, commenticiam antiquitatem sequitur, nec a Romana deflectit[1]. De Cerbero idem fere dicas ; qui nusquam apud Homerum nominatur, sed mature a poetis Graecis quasi Orci janitor habitus est.

Tum vero Aenea animas ad ripam concurrentes admirante causasque requirente, Sibylla ea verba habuisse fertur :

Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem
Di cujus jurare timent et fallere numen
Haec omnis, quam cernis inops inhumataque turba est ;
Portitor ille Charon[2].... etc.

1. Serv. ad 392. « Lectum est in *Orpheo*, quod, quando Hercules ad inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit. »
2. VI, 323.

Qui locus proxime ad Homericam de inferis et animarum sorte opinionem accedit. Jam enim heroica aetate arbitrabantur Jovem ceterosque Deos per Stygiam paludem jurare[1]; jam commenti erant non posse animas, nisi sepulto corpore, intra Orcum recipi, siquidem Patroclus Achillem apud Homerum ita alloquatur.

Θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω[2].

Simili autem prece Palinurus Aenean aggreditur :

Eripe me his, invicte, malis : aut tu mihi terram
Injice[3]....

Ubi Servius : « Terrae autem injectio secundum pontificalem ritum poterat fieri et circa cadavera et circa absentium corpora quibusdam solemnibus sacris ». Sed ut heroica aetate nondum terram injicere solerent (neque enim sibi ut pulvis injiciatur, sed ut tumulus constituatur, Elpenor Ulyssem rogat), consuetudinem hanc tota antiquitate viguisse e locis paene innumerabilibus constat[4].

Quod si inferos ipsos ingressi erimus, multa quidem Romana circumspiciemus : Minos, *quaesitor* factus, judicum, qui secum de mortuis cognoscant, nomina in urnam conjecta sorte ducit; dies autem eo modo quo apud Romanos, definitur, si quidem Macrobio et A. Gellio disputantibus adhibenda sit fides[5]. Tum Tartarus quasi locus suppli-

1. *Od.* V, 185.
2. *Il.* XXIII, 71.
3. *Aen.* VI, 365.
4. Soph., *Antig.* 256.
5. Cf. supra, p. 2.

ciis assignatus describitur, quum apud Homerum carcer Titanum sit ac Centimanorum : philosophorum scilicet ac maxime Platonis doctrinam Maro refert. Primum autem supplicium est suas fraudes fateri, nec ullum inter animas, prout nobiles aut plebeiae fuerint, discrimen, contra apud Homerum poenae tantum a perjurio et a rebellione expetuntur[1]. Jam scelera ibi plectuntur quae nisi a Romanis admitti potuere :

Hic quibus....
et fraus innexa clienti[2].

Ubinam enim nisi Romae clientes ac patronos invenias? Constat autem clientes ita in honore habitos fuisse, ita lege Romana defensos ut inter jureconsultos de gradu atque ordine officiorum disputantes [3] conveniret primum juxta parentes locum tenere pupillos debere, secundum eos proximum locum clientes habere; tum in tertio loco esse hospites, postea esse cognatos affinesque. Ipsae tandem duodecim tabulae sic ferebant: « Patronus si clientem fraudem faxit, sacer esto » : ita ut Virgilius « tabulas peccare vetantes[4] » videatur versibus perscribere. Tum si leges « quique ob adulterium *caesi* », non potes non meminisse apud Romanos solere adulteros virgis caedi[5]. Jam ille qui poenas dat quia

1. Cf. Martha, *Étude sur Lucrèce*, p. 123.
2. *Aen.* VI, 609.
3. Cf. A. G. V, c. XIII.
4. Hor., *Ep.* II, 1, 23.
5. Cf. Saglio, *Dict. des Antiq.*, Adulterium, p. 85. Quint. III, 6, 17 : « τρόπον, quum id, quod *alio modo* fieri licet,

fixit leges pretio atque refixit[1],

civis Romanus est, quum Romae aera leges inscriptas gerentia templi parietibus affigere mos esset. Rursus non solum ob merita mercedem accipiunt mortui, sed ea sunt merita quae tantum apud populos jam philosophia atque usu rerum excultos plurimi aestimantur. Vita igitur beata frui dicuntur

Inventas aut qui vitam excoluere per artes
Quique sui memores alios fecere merendo[2].

Qui versus egregio sensu insignes et poetae humanioris ingenium et elegantioris seculi indolem declarant. Nec illud praetereundum est quod Virgilius sacerdotibus sancte casteque officio functis parem atque iis qui bello pro patria occiderunt felicitatem tribuat; quae res non mira videbitur si cum Ditschio reputabis « quantopere sacerdotia in contemptionem apud Romanos venissent, quantoque studio Augustus iis pristinum splendorem restituendum curaverit[3] ». Quid plura? Illa de vita futura doctrina, de piaculis, de animorum in corpora reditu, de anima mundi, quum e philosophis sit petita sive a Pythagora, sive a Platone, sive etiam a stoicis, certe a simplicitate illa Homerica toto coelo, longo saltem seculorum intervallo distat.

Nec tamen desunt antiquitatis ultimae, etiam heroicae, vestigia : hic quoque Homerus, jure quodam proprio, suum inter philosophos, inter juris-

alio dicitur factum, hinc est adulter loris caesus.... Cf. Hor., *Sat.* II, 2, 41.

1. *Aen.* VI, 622.
2. *Aen.* VI, 663.
3. Theologoumenon Virgilianorum particula.

consultos locum vindicat. Jam primum, quamvis in extrema sexti libri parte Virgilius animos vix sui conscios apium more strepentes ostendat, alias ad similitudinem earum umbrarum, quae ab Homero εἴδωλα vocantur, omnino eos fingit; etenim et vocem habent qui *silentes* dicuntur, et confabulari inter se et cum vivis possunt, et eumdem sonum, quem apud Homerum, territae emittunt; et tangi comprendive nequeunt, et quae vulnera in vita acceperunt, eadem gerunt atque oculis exhibent, et quibus studiis olim delectati fuerunt, iisdem indulgent; ea autem studia quam parum sint doctrinae sapientium consentanea, quam saltem a Romanis moribus aliquando discrepantia, operae pretium est considerare; neque enim solum umbrae armis gaudent, poscunt equos, luctantur, lyra canunt, verum etiam « pedibus plaudunt choreas » quae saltatio, quum Romani censerent « neminem saltare sobrium nisi forte insaniat[1] », ad heroicos mores certe referenda est.

Nec Tartarus ille Virgilianus prorsus Homerico dissimilis; in quo describendo aliquando Graecum poetam Romanus satis habet vertere :

Τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης[2].

Homerus ait :

Bis patet in praeceps tantum tenditque sub auras,

uno verbo tantum mutato, interpretatur[3] Virgi-

1. Cicero, *pro Murena*, VI.
2. *Il.* VIII, 16.
3. *Aen.* VI, 577.

lius. In poeta utroque portae Tartari non eodem metallo, fateor, sunt factae, quum e ferro atque aere fuisse apud Homerum memorentur, ex adamante a Virgilio, verum ita durae sunt ut ipsa materia atrocitatem suppliciorum et vim fati indomitam videantur significare[1]. Jam vero non tantum scelera legibus Romanis coercita in Tartaro plectuntur, sed ea quae non nisi illo tempore admitti potuerunt quo homines aut monstra cum Diis de imperio contendebant. Titanas in Tartara Homerus jam detruderat; jam Tityon jacentem per novem jugera vulturibus praedam objecerat; jam Sisyphum saxum usque volventem ostenderat. Addit Virgilius, aliorum poetarum secutus commenta, et Salmonea, et Ixiona et Phlegyan et Pirithoum Theseaque; Salmonei quidem supplicium non describitur; sedet Theseus, quod genus poenae quum corpore tantum subeatur, dignum erat ut heroico tempore excogitaretur; Phlegyias autem, modo, ut ita dicam, exquisitiore atque ad recentioris aevi opiniones magis accommodato videtur plecti, quum clamare cogitur :

Discite justitiam moniti et non temnere Divos[2].

Adeo verum est Virgilium non ea tantum colligere

1. *Aen.* VI, 552; *Il.* VIII, 151.

2. *Aen.* VI, 620. Cf. Benoist, ad hunc versum. Virgilius Pindarum sequi videtur. — Miror hominem summi judicii haec scripsisse (Tissot, *Études sur Virgile*, I, p. 498). «On lit dans l'*Énéide*, travestie par Scarron : «La leçon est bonne «et belle : Mais, en enfer, à quoi sert-elle »? J'ai cherché vainement une réponse à cette objection plaisante et pleine de sens ». Atqui conscientiae vox est violatae justitiae quasi satisfacere quaerentis. Neminem docet : piaculum a se ipse exigit.

quae Romana possunt videri, sed in iis quoque describendis ultro acquiescere quae de heroum moribus atque opinionibus ab antiquis Graeciae poetis, praesertim ab Homero, ferebantur. Ergo Servio assentiri possumus dicenti : « Totus quidem Virgilius scientia plenus est : in qua hic liber principatum obtinet, *cujus ex Homero pars major est* ».

Quae ratio res varias ac diversas miscendi jucunditate quadam peculiari VIII Aeneidos librum quo narratur Aenea et Evandri conventus, videtur aspergere. Omitto ritus sacrorum quae ab Evandro celebrantur; neque enim res in integro erat; fabulam sequitur et sequi cogitur poeta, quae jam duorum numinum, alterius Latini, alterius Graeci, et facta et caeremonias ita miscuerat ut quid oriundum sit ex indigenarum religione, quid sit adventicium non omnino liqueat. Omitto et locorum descriptionem, quum inter Romae cunabula, ut ita dicam, versemur, nec posset poeta, praeter nomina Romana, quidquam aliud afferre. Verum quum Pallas sacra rumpi vetat, licet hic deprehendere Romanorum superstitionem arbitrantium se piaculum contrahere, si cui operae ante vacavissent quam sacrum perficeretur. Solent nonnulli interpretes hoc arae Maximae sacrificium cum eo conferre cui Nestor in Odyssea operatur; supplicanti enim interveniunt Minerva et Telemachus hospites; at ea formidine qua Pallas neque Nestor neque ejus filii moveri videntur; simplicius atque, ut ita dicam, familiarius Graeci cum Diis agunt; hos relinquunt, hospites excepturi; ad eos, hospitibus exceptis, confidenti animo revertuntur. Jam vero non tantum Hercules precibus aditur, sed Lares ac Penates, quos Deos

vere indigenas esse supra vidimus, in tugurio Evandri coluntur, ut testantur versus :

> hesternumque Larem parvosque Penates
> Laetus adit; mactat lectas de more bidentes[1].

Romano scilicet more, non Graeco.

Nonnulla e moribus Italorum gentium, Etrusci praesertim populi, hoc in libro quoque repetita deprehendas; exempli gratia, classes Tyrrhenas Latinis parantes bellum inferre :

> retinet longaevus aruspex
> Fata canens[2].

Non hoc quidem Etruscum haberi debet quod sacerdos exercitum vetat proficisci, classem e portu solvere ; eadem quoque sacerdotes heroico jam tempore et vetabant fieri et jubebant; sed versu supra laudato videtur Virgilius id commemoratum voluisse, quod ceteri scriptores et Cicero ipse affirmant, Romanam haruspicinae doctrinam in Etruria natam esse atque hic jam inde a priscis temporibus in summo honore habitam[3]. Ad Etrusca quoque instituta spectat locus :

> Ipsi oratores ad me regnique coronam
> Cum sceptro misit mandatque insignia Tarcho.

Nimirum, quamvis poeta nihil amplius addat, conjicere potes, cum interpretibus, hic eburnam sellam atque togam acu pictam significari, quum apud

1. *Aen.* VIII, 542.
2. *Aen.* VIII, 398.
3. C. Cic., VI, *Fam. Ep.* 6; *De leg.* l. II, c. IX; *De divin.* I, c. II; *De natura Deorum*, l. II, c. IV.

Etruscos haec regum propria insignia fuisse constet, nec aliud quod praeter sceptrum Tarcho miserit, vix possis excogitare.

Illis vero remotis, vide quam multa ad antiquitatem heroicam Graecamque poeta revocet. Primum Aeneas, quasi unus e Graecis esset, non pater Romanorum apud quos haec consuetudo nunquam viguit,

Paciferae.... manu ramum praetendit olivae[1].

Ac ne putes versum poetae imprudenti excidisse, ipse rex quomodo Evandrum adierit, commemorandum curat :

Optime Grajugenum, cui me Fortuna precari
Et vitta comptos voluit praetendere ramos[2].

Scilicet a Graecis auxilia petiturus Graecos mores Aeneas usurpat, quod non satis dilucide viderunt interpretes qui hanc consuetudinem Graecam in carmen quod omnino Romanum esse iis videatur, vi quadam intrudi mirentur. Cetera de genere hoc, sive Evandri origo atque vita cum heroicis aevi moribus aptius conveniat, sive hoc ipso heroico colore delectetur poeta : itaque Pallas, postquam nomen gentis classe advectae sciscitatus est, quo nomine hospes vocetur non quaerit, ut solet in Iliade atque Odyssea :

Egredere, o quicumque es[3]....

Dein vero egressum :

Excepitque manu dextramque amplexus inhaesit[4].

1. *Aen.* VIII, 116. — 2. VIII, 126.
3. VIII, 122. — 4. 124.

quod genus salutandi atque hospites excipiendi ex Homero notum est :

> Οἱ δ' ὡς οὖν ξείνους ἴδον, ἀθρόοι ἦλθον ἅπαντες
> Χερσίν τ' ἠσπάζοντο, καὶ ἑδριάασθαι ἄνωγον [1].

Tum ducis Trojani cum rege Graeco colloquium omnino dignum est moribus et aetate :

> Sed *mea me virtus* (inquit Aeneas), et sancta oracula [Divum
> Cognatique patres, tua terris didita fama
> Conjunxere tibi [2].

Nempe credas paene te audire Ulyssis verba se Ulyssem esse Laertiadem jactantis, aut etiam Diomedis se patre meliorem esse affirmantis. « Cognati vero patres », Evandri « terris didita fama » non sane multum Aenean ad regem alienigenam conveniendum pepulere, quum nocte tantum superiori, per somnium, audierit urbem esse quamdam nomine Pallanteum, regem autem quemdam Evandrum nomine : sed quum ad amicitiam contrahendam hospitia antiqua heroico aevo maximum momentum haberent, Aeneas cognationem non modo praetendit, sed ex ordine exponit explicatque. Rursus Evander meminit se hospitii jure cum Priami atque

1. *Od.* III, 34.

2. *Aen.* VIII, 131. — Qui non attendunt Aeneam unum de Homericis heroibus esse, hic castigant Virgilium. Cf. Tissot, *Études sur Virgile*, I, 112 : « Puisque les promesses solennelles et les ordres précis du Tibre, qui a d'ailleurs écarté tout soupçon de danger au nom du ciel apaisé, puisque les oracles des Dieux, la puissance des liens de famille, la volonté des destins, la haute renommée d'Évandre, ont conduit Énée devant lui, il n'y a point ici d'effort de vertu, point d'occasion de se targuer du courage d'être venu seul exposer sa tête à un péril qui n'est qu'imaginaire, »

Anchisa conjunctum esse, quum eos juvenis et viderit et exceperit, et comitatus sit, et ab iis dona, quae hospites solerent dare, acceperit. Quid tum? videtur Evander quoque, propter suam formae et staturae admirationem, quam non semel profitetur, e viris heroicae aetatis unus esse :

Ut verba parentis
Et vocem Anchisae *magni* vultusque recordor[1].

Quam laudem repetit atque in ea amplificanda commoratur :

Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden ; sed *cunctis altior ibat*
Anchises[2].

Quid quod ille Atlas, ab Evandro memoratus, non jam idem videtur qui in primo libro, philosophiam ac sapientiam professus, motus coeli Iopam edocuit, simillimus vero illi est qui apud Homerum imos maris gurgites novit atque columnas quibus innititur coelum, sustinet : nempe sic dicitur :

Electram maximus Atlas
Edidit, aetherios humero qui sustinet orbes[3].

Quid quod Evandri domus tugurio similior quam regiae est, ipse Eumaeo Ulyssem excipienti quam regi cujus auxilium imploratur ! quod Aenean

stratisque locavit
Effultum foliis ac pelle Libystidis ursae[4].

1. *Aen.* VIII, 156.
2. *Aen.* VIII, 161. Hic quoque Virgilium idem scriptor reprehendit, dum obliviscitur ita heroas et apud Homerum, laudari solere. « Comment le père de Pallas ne trouve t-il à célébrer dans son ancien ami qu'une taille élevée »?
3. VIII, 136. — 4. 367.

Quam pellem si in ovinam mutaveris, sedem ab Eumaeo Ulyssi oblatam agnoscas :

Ῥῶπας δ' ὑπέχευε δασείας
ἔστορεσεν δ' ἔπι δέρμα ἰονθάδος ἀγρίου αἰγός[1].

Quid quod totus ille Evandri habitus cultusque simplicitatem priorum temporum redolet! Tyrrhenae quidem soleae sunt, sed et Graecae quum illud calcei genus, quod conflatum est e pluribus fulmentis, pedibus Graecarum statuarum circumdari aliquando soleat[2]; tum gladium, more heroum, ita aptat ut humero alligatus juxta latus sinistrum pendeat[3]; tum pantherae pellem, ut Menelaus leonis, pardi Agamemnon induit[4]; tum canes duo, in colloquium cum Aenea venientem ut Telemachum ad consilium profisciscentem sequuntur[5]. Omnia illa fatendum est nec a Romano fonte derivari, nec ab Italico; aut mores Homericos repetit Virgilius, aut illam saltem heroici aevi imaginem, quam ex Homero aliisve poetis, animo sibi effinxerat, exprimere conatur.

1. *Od.* XIV, 19.

2. Quod videre est in statua quae vulgo «Pallas de Velletri» appellatur. Cf. Fröhner, *Notice de la sculpt. antiq.* nº 114, a quo laudatur Pollucis *onomasticon*, VII, 92 : Τυῤῥηνικά· κάττυμα ξύλινον τετράγωνον· οἱ δὲ ἱμάντες ἐπίχρυσοι· σανδάλιον γὰρ ἦν· ὑπέδησε δ' αὐτὸ Φειδίας τὴν Ἀθηνᾶν.

3. Cf. Benoist, ad VIII, v. 458.

4. Cf. *Il.* X, 23, 29.

5. Operae est pretium videre quomodo Chateaubriand haec usurpaverit, dum personas a se inductas vult specie quasi heroica commendare. Cf. *les Martyrs*, ch. III : « Lasthenes.... sort précédé de deux chiens de Laconie, sa garde fidèle.... — Eudore.... attache à ses pieds des brodequins de Gaulois formés de la peau d'une chèvre sauvage.... Il jette sur ses épaules et ramène sur sa poitrine la dépouille d'une biche blanche.... »

Sed Evander, homo Graecus, e regione aspera oriundus videri potest secum Graecos heroicosque mores in Virgilii carmen transtulisse; nec negandum est poetam, occasione arrepta, Homericarum rerum in tali viro potissimum meminisse. At aliquando in ipsis Trojanorum castris, si quaedam excipias ad Romanos mores potius spectantia, cetera non secus atque Achivorum in castris apud Homerum sese habent. Argumento sit totus ille insignis locus quo Nisus et Euryalus, ingenti hostium caede edita, ipsi alter super alterum oppressi occidunt : atque, ut Romana primum aut saltem aevi recentioris vestigia persequar, utrum tibi videtur Nisus sub monte Ida natus an Athenis vel Romae, Diomedis Agamemnonisque aequalis an Socratis, qui ita philosophetur :

Dine hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam aut aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi nec placida contenta quiete est[1].

Possunt quidem hi duo versus ultimi e sacrario Homerico prolati videri, apud quem invenias :

Νέστορ', ἐμ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
ἀνδρῶν δυσμενέων δῦναι στράτον, ἔγγυς ἐόντων[2].

Sed haec non satis habuit vertere Romanus poeta; addidit

An sua cuique deus fit dira cupido?

Omnis motus animi apud Homerum pro numinis cujusdam instinctu haberi solet; sed non ita natu-

1. *Aen.* IX, 184.
2. *Il.* X, 220.

ram hominis perspectam exploratamque habent ut timeant ne, dum alicui deo parere se arbitrantur, cupidini tantum suae morem gerant; ipso mentis impetu pariter atque deo heroes confidebant. Romana quoque est illa tollendi filii consuetudo, hoc versu Virgiliano memorata :

> Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes
> *Sublatum erudiit*..., etc.

Jam certatim locos veterum scriptorum laudaverunt interpretes [1], quibus hanc vocem, hunc morem a privata Romanorum vita depromptum fuisse ostenditur. Quid quod his verbis amicum Nisus alloquitur :

> ita me referat tibi magnus ovantem
> Juppiter, aut quicumque oculis haec aspicit aequis [2].

Romani est sic dubitare quis deus sibi adsit aut sit adfuturus, cui gratias ac vota, re bene gesta, sit soluturus. Quid quod « populus patresque [3] » una nominantur, quae formula omnem rempublicam romanam complecti videtur? Quid quod senior Aletes orationem habet quae Platoni aut stoicis probari possit :

> Quae vobis, quae digna, viri, pro talibus istis
> Praemia posse rear solvi? *Pulcherrima primum*
> Di moresque dabunt vestri [4].

Pulcherrimi quidem sensus, et qui collati cum prio-

1. Horat., *Serm.* II, 5, 46; Plaut., *Amph.* V, 33; Ter., *Andr.* I, 3, 14.
2. IX, 208.
3. 192.
4. *Aen.* IX, 254.

rum temporum rusticitate atque asperitate paulo insolentiores esse videntur! nempe ut homines pluris conscientiam quam laudem et praemia facerent, longa aetas, plurimae sapientium disputationes tantum efficere potuerunt. Jam vero Fortunae, cujus deae ne nomen quidem heroico tempore videtur fuisse notum, suae sunt apud Virgilium partes, suum numen.

Nec tamen antiquitas Homerica ita deserta fuit a poeta ut nusquam se videndam rursus ostendat; imo, quasi stamen telae cujusdam videtur esse, cui, quasi subtemina, consuetudines Romanas aut Italicas Virgilius annectit. Primum totus locus loco Homerico simillimus, atque eo imitatio processit, ut Trojani, quos poeta nescio qua lenitate ingenii praeditos solet depingere, hic singulari atrocitate lasciviant, ut juvenes duo Diomedis atque Ulyssis feritatem referant, ut quos ob virtutem atque amicitiam mutuam miramur, propter fatum miserescimus, eos, propter caedis illam nimiam (ut ait ipse Virgilius) cupiditatem minus miremur ac miserescamus. Nisus vero adtende quam non unus sit e Romanis, sed ex heroibus aliquis, quos Homerus nobis ante oculos solet proponere! E patre Hyrtaco ortus est, quod nomen jam in Iliade occurrit ac nescio quam originem Asiaticam prae se videtur ferre; non tam bellator est quam venator, gladio quidem utitur, saepius « *jaculo levibusque sagittis* ». Hastilia quibus armatus Aeneas it venatum, secum gerit, dum castra Turni nocte pervadit; hastilibus Sulmonem et Tagum, quasi belluas, transfodit. Quod si nunc ad consuetudines hoc loco memoratas respiciemus, apparebit plerasque ab Homero haustas : auro redimuntur caesorum cor-

pora quum Nisus ita amicum a periculis secum adeundis ita deterreat :

> Sit qui me raptum pugna *pretiove* redemptum
> Mandet humo solita[1]....

Quo versu cogimur, ut ita dicam, de Priamo cogitare dona ac preces Achilli admoventi ut possit corpus filii secum avehere. Duces de summa rerum deliberantes,

> Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes[2].

Non aliter Achivi ac Trojani constitere, quum Menelaus et Paris de Helena dimicare paraverunt; non alius Hectoris habitus in concione Trojanorum verba facientis :

> ἐν δ' ἄρα χειρὶ
> ἔγχος ἔχ' ἐνδεκάπηχυ[3].

quod verbum etiam, ἐνδεκάπηχυ, videtur Virgilius cavisse ne omitteret, quum « longis adnixi hastis » posuerit. Ascanius vero pollicetur duos viros a se, non phaleris, non hasta pura, quae praemia ad militiam Romanam nos revocassent, sed iis quae Homerica aetate dono dari ducibus solerent, ornatum iri :

> Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
> Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba[4].

Nec illud negligendum est quod pocula inter spolia hostium fuerant reperta; ea enim pluris fuisse he-

1. *Aen.* IX, 213.
2. 229.
3. *Il.* VIII, 493.
4. *Aen.* IX, 263.

roico aevo videntur quae, bello capta, militaris virtutis quasi praemia possent haberi. Subjicit poeta,

> Et tripodas geminos, auri duo magna talenta,
> Cratera antiquum quem dat Sidonia Dido[1].

Hujusmodi vides esse munera quae Achilli ad iram viri compescendam ac gratiam, si possit, conciliandam offerenda Agamemnon curat. Alia vero ad haec accedunt :

> Si vero capere Italiam sceptroque potiri
> Contigerit victori et praedae ducere sortem,
> Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis[2].

Haec omnia ad antiquitatis heroicae speciem describi atque informari vix est quod admoneam; spoliorum enim, ut videre est, post pugnam fit sortitio[3] : excipitur autem ut jam heroico aevo pars certa quae ducibus aut optime de re publica meritis assignatur. Quod vero equus Turni Niso promittitur, praeivit Homerus apud quem Hector se currum equosque Achillis Doloni daturum in re haud dissimili pollicetur[4]. Quis vero neget campum illum Latini, eumdem esse ac τέμενος, quum Servius ipse, qui Romanam historiam cum Virgilianis carminibus nunquam non confert, hic repetitum ex heroico tempore usum agnoscat? Haec tamen quantumvis multa

1. IX, 265.
2. *Aen.* IX, 267.
3. Etiam captivae et apud Homerum et apud Virgilium sorte post bellum trahuntur victoribusque assignantur. Cf. *Aen.* III, 323.
4. *Il.* X, 322.

promittere non satis habet Ascanius; non sinit juvenes indonatos abire:

> humero simul exuit ensem
> Auratum mira quem fecerat arte Lycaon
> Gnosius, atque habilem vagina aptarat eburna[1].

Cujus exemplum sequntur alii duces:

> Dat Niso Mnestheus pellem horrendique leonis
> Exuvias; galeam fidus permutat Aletes[2].

Eodem fere modo apud Homerum Diomedem ad explorandos hostium animos viresque proficiscentem Thrasymedes clypeo gladioque suo accingit[3]; Meriones autem Ulyssem arcu, pharetra et gladio donat[4]. Quod vero vagina gladii ab Ascanio dati sit ex ebore, noli suspicari Virgilium ad quasdam sui aevi delicias alludere; jam apud Phaeacas Euryalus Ulyssi, quum iram dictis temere moverit, ut satisfaciat, gladium argenteo capulo, vaginam autem e recens facto ebore, affert[5]. Ac ne dubites quin cum hominibus heroici aevi, non cum Romanis rem habeamus, attende quam facile omnes illi bello spectati duces, qui Nisi Euryalique virtutem et mirantur et, re nondum peracta, praemiis afficiunt, in lacrimas erumpant

> percussa mente dedere
> Dardanidae lacrimas[6].

Agnoscas virorum indolem, quos Homerus cecinit,

1. *Aen.* IX, 303.
2. IX, 306.
3. *Il.* X, v. 255.
4. *Il.* X, v. 260.
5. *Od.* VIII, 403.
6. *Aen.* IX, 292. Cf. *Il.* XIX, 338.

motus animi comprimere minime tentantium, ac dolorem nimio saepe fletu declarantium.

Haud absurdum erit hic quoque Pallantis funera paulo attentius considerare, non quo plura in his heroica simus reperturi, verum quia rationem illam Virgilianam res varias in unum miscendi fortasse melius deprehendemus.

Primum fertur Aeneas, tropaeo erecto, ad tentorium rediisse

recipitque ad limina gressum[1].

Contenderunt hic interpretes Aenean, quum e poetae verbis non liceat conjicere ubi noctem transegerit, non in suo, sed in alio cujuslibet Trojani ducis tentorio cubuisse, « quum noluisset velut se polluere cum mortuo in eadem domo pernoctans[2] ». Cui opinioni tam difficile est, ut videtur, assentiri omnino quam contradicere; attamen si reputaveris nullo modo oportere a poeta vitam omnem viri describi, somnos etiam recenseri et quasi ad calculos vocari, non mirum tibi videbitur apud Maronem Aenean « vota solvere Eoo » quamvis nec ubi dormiverit, nec quando e tantorio exierit, liqueat. Quod autem iidem interpretes conjiciunt virum piaculi metu domum deseruisse, Romanos mores ac superstitionem potius in carmen intrudunt quam revera dispiciunt; falluntur homines studio unum eumdemque colorem in Aeneide deprehendendi.

Sed ad alia jam transeundum est. Virgilius sic verba continuat:

recipitque ad limina gressum
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acoetes

1. *Aen.* XI, 29. — Wagner, *Qu. Verg.* XL.

> Servabat senior qui Parrhasio Evandro,
> Armiger ante fuit....

Ergo corpus in domo exponitur. Quod si *limina* vestibulum audias, Virgilius videbitur heroicam consuetudinem retinuisse, quum ἀνὰ πρόθυρον mortuorum corpora protendi solerent; sin *atrium* acceperis, Romanum agnosce morem; sed verisimile est hic neque de atrio neque de vestibulo agi, verum de tentorii aut domus regiae aditu. Quod autem corpus *positum* fuisse dicitur, verbum quidem Latinum est, at res quae hoc verbo designatur, corpus scilicet ita constitui ut januam spectet, videtur omni tempore, heroico etiam, in usu fuisse, si quidem apud Homerum Patroclus,

> κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος[1].

Corpus autem servabat senior : quae res ita natura monstrata est ut apud nos quoque, qui tanto discrimine ab antiquis disjungimur, praevaluerit. Apud Homerum certe Patroclum, ut non unus famulus aut amicus, ita omnes Myrmidones tota nocte flentes gementesque custodiunt, quod viri dignitati et Achillis dolori datum fuisse videri potest. Adsidet Pallanti armiger Acoetes. Cur armiger? scilicet, illum θεράποντα Homericum licet agnoscere qui se uni viro applicat, sive ultro, sive a parentibns comes additus, ac famuli fidelissimi ac diligentissimi partibus fungitur. Addit poeta :

> Circum omnis famulumque manus Trojanaque turba
> Et maestum Iliades crinem de *more* solutae[2].

1. *Il.* XIX, 212.
2. *Aen.* XI, 34.

Hic quoque vocabulum illud « de more » occurrit. Contendunt aliquando interpretes, quoties in hoc verbum incidimus, oportere nos consuetudinem Romanam subodorari; quod utrum verum sit necne, per locum hunc saltem dubitare licet. Recte Heynius : « Mos autem perpetuus tum veteris aevi ex Homero notus, tum barbarorum populorum ut lamenta super mortuos facerent non viri tantum, sed feminae ». Quod attinet ad heroicas consuetudines, non dubium est quin lamentationibus interessent feminae, quum viso Patrocli corpore Briseis et captivae lacrimas ubertim fundant et mortuum alloquantur; quae quidem, ut ait poeta, de se magis quam de Patroclo querebantur; sed hoc ipsum argumento est eas consuetudini cuidam id temporis vulgatae jussas inserviisse. Pergit Virgilius :

> Ut vero Aeneas foribus sese intulit altis
> Ingentem gemitum tunsis ad pectora tollunt
> Pectoribus maestoque immugit regia luctu[1].

Redintegratur igitur luctus, ubi primum Aeneas tentorium est ingressus; non est quod credas ad morem aliquem Romanum hic alludi; natura fit ut « conspectus aliorum mutua miseratione integret lacrimas ». Aeneas orationem habet quasi funebrem; sed apud Homerum quoque, Hectoris corpore intra Trojae muros reportato, Hecuba, Andromache, Helena et sibi et mortuo non sine plurima verborum copia illacrimant. Ceterum quid mirum est si Virgilius, quum nos permovere tentet, Aenean inducat omnes, ut ita dicam, lacrimandi causas colligentem?

1. *Aen.* XI, 37.

Quod geminis vestibus, una caput, altera corpus contegitur, non causa est, ut videtur, cur putemus Virgilium ricas aut ricinia, palliola scilicet ad usum capitis facta, in animo habuisse. Frustra affertur Varonis locus : « ut dum supra terram essent, riciniis lugerent, funere ipso, ut pullis pallis amictae[1] ». Quippe et in hoc loco Varronis de habitu lugentium, non cadaveris agitur; et quum hae geminae vestes inter dona Didonis essent, vix intelligi potest a Didone Aeneae ricas dono datas fuisse; tandem duabus quoque vestibus in Iliade Patroclus induitur; quam rem nescio an secutus sit Virgilius; certe consuetudo quae memoratur heroica videri potest. Ducitur pompa :

Vinxerat et post terga manus quos mitteret umbris
Inferias, caeso sparsurus sanguine flammam[2].

Caeduntur quoque humanae hostiae ad rogum Patrocli; quod hunc morem Virgilius retinuit, sane mirandum est, quum Aeneas Achille multo humanior miti ac placido animo res omnes tractare videatur, ut qui pacem aeternam cum hostibus sit aliquando facturus. Scilicet poeta in hoc quoque Homerum sequitur; heroicos mores exprimendi studio fortasse nimio se patitur abripi. Tum quae sequuntur pompae Romanae similiora fiunt :

Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces inimicaque nomina figi[3].

Scimus enim id moris fuisse apud Romanos ut in

1. Varr., lib. III, de V. P. R. (fr., p. 247).
2. *Aen.* XI, 82.
3. *Aen.* XI, 83.

funeribus tropaea cum titulis et cum nominibus de victorum hostium ferrentur[1]. Tum adest senior. Acoetes :

> Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora
> Sternitur et toto projectus corpore terrae.

Qui luctus quamvis vehementior nobis videatur quam ut in homines modestiae consulere assuetos possit cadere, non tamen heroico tempori proprius haberi debet; tota enim antiquitas, non tantum heroica et Graeca, sed et Romana, solita est ita lugere ut viri vestes scinderent, vultum ac pectus tundendo lacerarent, caput pulvere respergerent, sese ad terram projicerent, tandem dolore prorsus amentes et sui impotes viderentur :

> Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus[2].

Rursus ad heroica certe relabimur, quum e curru nonnisi apud Homerum ac poetas qui heroici seculi res gestas cecinerunt, certetur :

> Post bellator equus, *positis insignibus*, Aethon
> It lacrimans[3].

Quod si velis haec insignia phaleras interpretari, Romana sunt : non tamen liquet phaleras fuisse.

> Hastam alii galeamque ferunt : nam cetera Turnus
> Victor habet. Tum maesta phalanx Teucrique sequuntur
> Tyrrhenique omnes et versis Arcades armis[4].

Ad haec interpretes Taciti locum afferunt pompam, qua cineres Germani Romam reportati sunt, descri-

1. Tacit., *Ann.* I, 8.
2. *Aen.* XI, 88.
3. 89. — 4. 92.

nentis : praecedebant incompta signa, versi faces[1]. Non tamen causa est cur affirmem poetam ad aequalium mores potissimum respexisse; namque ut apud Homerum consuetudo armorum in exsequiis vertendorum non occurrit, ita veterrimam esse testatur carmen Bacchylidis ab ipso Servio laudatum, in quo et Arcades, non hastas quidem, sed scuta invertunt « propter numina illic depicta; ne eorum simulacra cadaveris aspectu pollueruntur ». Liceat suspicari, quamvis aliter interpretetur Servius, ad dolorem declarandum hunc quoque morem valuisse; ita enim natura constitutum est ut si quis vel color vel habitus laetitiae significationem habeat, in contrarium maesti ac lugentes mutemus.

Tum vero Aeneas a corpore discedens :

Salve aeternum mihi, maxime Palla
Aeternumque vale[2].

quod neque ab heroico more neque a Romano neque omnino a communi populorum videtur discrepare Pompa autem ad urbem appropinquante :

Arcades ad portas ruere et de more vetusto
Funereas rapuere faces[3].

Servius hic Varronem et Valerium Flaccum testes adhibet, eum morem apud Romanos fuisse ut si cui filius extra urbem decessisset, corpus sub noctem in urbem cum cereis facibus praelucentibus inferretur. Sed ipse poeta videtur omnem dubitationem diligenter sustulisse; neque enim verba « de more vetusto » usurpavisset, nisi voluisset admonere

1. Tac., *Ann.* III, 2. Cf. Ovid., *Consol. ad Liv.*, 142.
2. *Aen.* XI, 97. — 3. 142.

consuetudinem non a se fictam, sed a veterum Italiae populorum usu repetitam fuisse. Quod ad funerum ritus attinet qui in eodem libro describuntur, videtur Virgilius, suam rationem ipse nos docere voluisse; quippe qui ita dixerit :

Jam pater Aeneas, jam curvo in littore Tarchon
Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum
More tulere patrum[1].

At Aeneas Trojanus est idemque Romanae stirpis auctor : Tarchon Etruscus : Etruriae vero plurimum Roma debuit; ergo non miraberis ita misceri omnes ritus ut quid potissimum ad heroicam aetatem sit referendum vix agnoscas.

Decurritur circa rogos, quam consuetudinem Romanam fuisse tum e scriptis veterum, tum e monumentis constat; sed et apud Homerum circa corpus Patrocli fit decursus[2]. Versus autem subjectus :

Spargitur et tellus lacrimis, sparguntur et arma[3].

heroico aevo certe dignior : etenim nescio quid insoliti atque nimii videretur significare, si tibi Romanos inter decurrendum tantam vim lacrimarum effudisse fingeres. Tubicines nulli apud Homerum; Tyrrhenam consuetudinem puta hic perstringi. Spolia Latinis erepta in ignem conjiciuntur; Romanum ita tulisse morem jam docuimus. « Munera nota » comburuntur; quod quidem toti antiquitati fuit commune et ipsa natura est monstratum. Mactantur boves et sues et oves; quae quidem

1. 184.
2. *Il.* XXIII, 13. Cf. *Od.* XXIV, 68-70.
3. *Aen.* XI, 191. Cf. *Iliad.* XXIII, 15.

sacra quum morti peragantur, non Marti, nescio an non suovetaurilia haberi possint; Homerica esse non affirmaverim, quum apud rogum Patrocli *boves equi* et *canes* immolentur. Quod autem Latini alia corpora solo infodiunt, alia comburunt, Virgilius a rerum veritate non deflectit; utramque enim consuetudinem simul in Italia pricis temporibus viguisse constat; ipsi vero Romani non semper in eodem more permanserunt; quippe apud quos et inhumari corpora coepta sint, et post fuerint conbusta, rursus terrae mandata.

Quid ergo statuendum est? Pleraque scilicet esse communia; in quibusdam apparere Virgilium in moribus veterum Italorum servandis diligentiorem; poetam vero non omnino heroicae illius antiquitatis, qualem Homerus expresserit, immemorem esse et incuriosum; ceterum, quantum ad multas res pertineat, non posse concludi utrum vere heroicae sint an Romanae.

Idem fere de foedere quod ab Aenea cum Latino sancitur disputandum erit. Ad veteres Italarum gentium aut etiam Romanorum usus alludere videtur Maro, quum diis communibus gramineae arae excitantur [1], quum adsunt sacerdotes « velati limo [2] » quo vestimenti genere utebantur popae romani, et « verbena tempora cincti », qua herba in Capitolio

1. Cf. Hom., *Od.* III, 8, 3.

2. Forbiger : «Limus est subligar ab umbilico usque ad pedes pertingens, quo ministri sacrorum, popae et id generis homines seminudi cincti erant, qui propterea vocantur limocincti in Inscript. Veronae reperta, quae, Wagn. teste, legitur in Reinesii Syntagm. 3219 ». Cf. de Clarac, *Descript des antiques du musée du Louvre*, n° 772 *bis*, sacrifice romain.

evulsa coronabantur feciales foedera facturi aut bella indicturi ; quum « pura in veste sacerdos », non rex uterque, ut apud Homerum, sacrum peragit, quum pecus, ovis scilicet, dicitur *admota* aris fuisse, quo verbo demonstratur victimam non improbari ; quum porcus caeditur, quum fruges salsae adhibentur, quum omnes Deos una precationis formula Aeneas comprehendit, quum pecudes in flammam jugulantur, quum viscera vivis eripiunt ac lances carne oneratas in aram reponunt, quum Latinus aram tangit[1] et Janum bifrontem sui jurisjurandi testem invocat. Hoc quoque ad Romanos mores magis accommodatum quod ipsa jurisjurandi formula a leguleio quodam subtiliter verba ponderante, ne quis sit fraudi locus, videtur perscripta. Audi, quaeso, Latinum :

> Nulla dies pacem hanc Italis nec foedera rumpet[2].

Quid plura ? nonne hoc versu plenissimo Latinus et suam fidem omnino obstrinxit, et exspectationem Aeneae explevit ? Illi autem aliter visum : quippe qui addat :

> Quo res cumque cadent....

Nulla re ergo ad pejerandum adducetur ; nec satis est ; vim pati potest, homo animi non satis firmati ;

1. Quanquam et apud Homerum sacrum aliquid aut Diis consecratum tenent jurantes. Cfr *Il.* XIV, 272 : Χειρὶ δὲ τῇ ἑτέρῃ μὲν ἕλε χθόνα πουλυβότειραν, Τῇ δ' ἑτέρῃ ἅλα μαρμαρέην..., Cf. Eurip., *Iph. in Aul.*, v. 1472 : καὶ πατὴρ ἐμὸς ἐνδεξιοῦσθαι βωμόν.

2. *Aen.* XII, 202.

verum contendit se nullo modo sententia depelli posse :

> nec me *vis* ulla *volentem*
> *Avertet*, non si tellurem effundat in undas
> Diluvio miscens coelumque in Tartara mittet.

Atqui in eo ipso loco, non una species, non unus color est deprehendendus ; sive Homerum sequi gaudeat poeta, sive ab eo mutuetur quod Italica historia aut fabula minus suppeditat, res atque etiam formulae heroico tempore usurpatae legenti saepius occurrunt. Latini praecelsa est statura, qualis heroum dicitur fuisse ; Turnus bijugis invehitur, ea bina hastilia crispans quae heroes ubique gerere solent ; tum, quum multo plures quam apud Homerum Dii invocentur, tamen non commisit poeta ut eos omitteret qui in Iliade testes adhibentur ; per Solem, Terram, Jovem ac Deos inferos Aeneas Latinusque, Priamus et Agamemno jurant. Graeco autem more, ut jam Servius animadvertit, « intonsa bidens » mactatur. Sceptrum Latini quale fuerit non licet fortasse animo effingere ; licet certe suspicari non fuisse sceptro Agamemnonis dissimile, quum « aere decoro » ab artifice inclusum fuerit ; nempe clavi sunt illi quibus apud Homerum regum sceptra fulgent. Adde quod comparatio haec

> Ut sceptrum hoc....
> Nunquam fronde levi fundet virgulta nec umbras [1].

quum ab Homero sit repetita, nec in sceptro describendo quidquam mutet poeta, argumento esse videtur de una eademque re fieri mentionem [2].

1. Friedreich., *Die Realien*, p. 397. — 2. XII, 206.

VII

Quod si nunc, non jam Aeneidos partes explicabimus, sed totum carmen perlustrabimus, res heroicas rebus Romanis Italicisve pariter admixtas esse constabit.

Ut a Deis incipiam, saepius animadversum est hoc inter Virgilianos Homericosque interesse ut hi, hominibus simillimi, eosdem fere animorum motus concipiant, eamdem mentis imbecillitatem praestent, iisdem casibus sint obnoxii; illi vero melius sint morati, cum hominibus fortasse sed cum hominibus doctrina informatis conferri debeant, dignitatem quamdam ad Romanos mores aut ad philosophiam elegantioris seculi accommodatam prae se ferant; tandem nec fortunae serviant, nec varias vitae humanae vices formidandas habeant. Haec quum recte observata fuisse videantur, non tamen negandum est ab illo fastigio ad Homericam mobilitatem atque humilitatem Virgilianos Deos aliquando relabi, aliquando etiam infra subsidere[1]. Non potest quidem

1. Cf. Macrobium, *Saturn.* V, XVI. « Nullam commemorationem de judicio Paridis Homerus admittit. Idem vates Ganymedem non ut Junonis pellicem a Jove raptum, sed Jovi alium poculorum ministrum in coelum a Diis ascitum refert, velut θεοπρεπῶς. Virgilius *tantam deam quod cuivis de honestis feminae est*, velut specie victam Paride judicante doluisse et propter Catamiti pellicatum totam gentem ejus vexasse commemorat ».

poeta quin ipse secum Deos furere miretur, qui exclamaverit.

> Tantaene animis coelestibus irae[1]?

Attamen et irascentem Junonem et iras suas quasi foventem depingit, dein mitigatam inducit, spe data fore ut aliquando omnis ille furor defervescat. Misenum Triton aemuli impatiens[2], dicitur aqua mersisse; addit quidem poeta « si credere dignum »[3]. Sed quam multa ab Homero ceterisve poetis excogitata retinuit, quae parum digna esse videntur quibus adhibeatur fides ! Hic memoratur Venerem a Diomede vulneratam esse, quam fabulam non committit Maro ut respuat, quamvis alias arbitrari videatur et certe arbitretur Deos sua natura tanto sacrilegio minime obnoxios esse. Illic Stygia palus,

> Una superstitio superis quae reddita Divis[4],

a jurante Jove adhibetur testis, quasi Dii, quum per Deos hominum more jurare non possent, nescio quo timore inferorum ad fidem servandam obstringi deberent. Constat Homericos Deos a consilio proposito non raro desciscere; nec majorem constantiam Virgiliani praestant, quare Juno Jovem sic alloquitur :

> In melius tua, *qui potes*, orsa reflectas[5] !

scilicet deum mutabilem ac versatilem esse non se-

1. *Aen.* I, 11.
2. Quae ultio Thamyrim voce oculisque orbatum a Musis (*Il.* II, 594), Eurytum sagittis Apollinis aemulum indignati confectum (*Od.* VIII, 226) in memoriam revocat.
3. VI, 173.
4. XII, 817. Cf. IX, 103; X, 113. — 5. X, 632.

mel experta[1]. Dii apud Homerum ea tantum norunt quae aut ipsi viderunt aut per nuntios edocti fuerunt; haud aliter in Aeneide quasi forte fortuna certior fit Juno Teucros, quos per maria omnia exagitet, ad Italiae oras jam appulisse. Futurarum rerum scientia Jovi quidem apud Homerum, non Diis omnibus, contigit : nec prudentia subtiliore Deos suos Virgilius impertit : Venus nonnisi querendo evincit ut a Jove fata Romana doceatur; Junoni rumore tantum ac fama nota est tum magnitudo Romae tum pestis quae olim Carthagini instabit.

Jam supra animadvertimus fatum, quale sibi Virgilius effinxerit, ab Homerico differre, quum, ut verba doctissimi interpretis usurpem « esse aliquid aeternum, unum atque immutabile quo omnia regantur, magis a Virgilio perspectum fuerit quam ab Homero[2] ». Atqui plura occurrunt quae ab Homerica doctrina non tam longe recedere videantur. Ut exemplo utar, quid magis singulare quam illa verborum junctura, ἡ Διος μοῖρα, μοῖρα θέων? Etenim si fati in Jovem imperium sit, quomodo fatum *dei esse* dici potest, quod idem fere valet atque *a deo pendere, deo servire?* Sin Jupiter fata regat, cur ita curant Dii, et ipse Jupiter, ne quid contra fatum adveniat?

1. Cf. Allihn, *Dissert. de idea justi qualis fuerit* apud Homer. et Hesiodum, Hal. 1847, p. 31 : « Incidit ut a proposito et a susceptis desciscat. Quod accidit quum Sarpedoni filio amantissimo mortem imminere videt, *Il.* VI, 435, ita ut Juno ei in memoriam revocare debeat quod antea de Trojanorum et Achaeorum sorte decreverit. *Il.* XVI, 440. — Idem de Hectoris obitu narratur, *Il.* XXII, 168, ubi Minerva iisdem argumentis Jovem ad sanam mentem reducere studet ».

2. Dietsch, *Theologoumenon Vergilianorum particula.*

Haec quum leviter sint inter se repugnantia nec possint aliter dissolvi nisi existimes tum Μοῖραν θεῶν dici quum voluntas deorum cum fati imperiis omnino consentiat[1], mirum est sane Virgilium cui ambigua minus placeant, iisdem verbis uti :

Et sic fata Jovis poscunt[2]....

Quid quod in primo Aeneidos libro Jupiter quum fata Venerem docere velit, videtur aut in libro quodam legere aut potius instinctu quodam futura divinare[3], in duodecimo autem trutinam sumit, ut, uter prius debeat mori, Aeneasne an Turnus, fatis pensitatis, dignoscat. Non ea est solita Jovis Virgiliani majestas ac prudentia ; Homericus adest deus, heroicam legimus fabulam, quum ea expendantur quae natura expendi nequeunt, quum non vires mentis satis sint ad futura praenoscenda, quum ad instrumentum quoddam terrestre deo sit confugiendum.

Precationum formulas e sacris libris repetitas fuisse et plerique interpretes viderunt et nos ipsi annuimus ; non tamen omittendum est hujusmodi

1. Cf. Friedreich., *Die Realien*, p. 621. Cf. *Od.* IX, 52; XI, 292; III, 269; XXII, 413.

2. IV, 614.

3. *Aen.* I, 262, Longius et *volvens* fatorum arcana movebo. Weidner intelligit : « ὁρμαίνων ». Jam Macrobius animadverterat Virgilium secum dissidere. Cf. *Sat.* V, c. XIII. « Similis est importunitas in ejusdem Jovis lance quam ex illo loco sumpsit : Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα ; nam cum jam de Turno praedixisset Juno, *Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis Parcarumque dies et lux inimica propinquat,* manifestumque esset Turnum utique periturum, sero tamen, *Juppiter ipse duas aequato examine lances Sustinet et fata imponit diversa duorum.*

aliquando preces in Aeneide occurrere quae Homericis precibus sint simillimae. Etenim qui apud Homerum deum aliquem orat, aut commemorat beneficia a deo in se collata quasi suis ipse muneribus deus astringatur, aut hostias a se jam mactatas, dona aris imposita recenset, aut se futurum esse largiorem pollicetur; raro autem homo supplex sibi in animum inducit ut causam suam aequiorem esse contendat. Quem precandi morem sequitur Virgilius : quemadmodum Diomedes Minervam suae in patrem voluntatis admonet et se juvenca facturum esse pronuntiat[1], ita Cloanthus, timens ne palma excidat, Deos pelagi taurum vovendo propitiat[2]. Quemadmodum Agamemno miratur se, quum tanto sanguine aras Deorum resperserit, ante Trojam nunc adhuc sedere[3], ita Iarbas Jovis incuriam amare increpat[4]. Menelaus quidem semel apud Homerum hospitii jura a Paride violata in precando memorat[5]; semel Aeneas, postquam ruptum est foedus, Jovem testatur[6]. At haec duo scelera, perjurium et hospitii contemptionem, scimus esse fere sola quae Dii ulcisci heroica aetate putarentur. Quid quod interdum Virgilius non precandi morem heroicum tantummodo sibi vindicat, sed ipsas preces, quas Homerici heroes Diis ádhibent, paene ad verbum reddit, fidus interpres; ut quum matronae,

1. *Il.* X, 278.
2. *Aen.* V, 231.
3. *Il.* VIII, 236. Cf. quoque *Il.* I, 39; de quo loco Terpstra, *Antiquitates homericae*, p. 103 : « Chryses pro pietate Apollini saepius praestita suo quodam jure ut preces ratae sint postulet ».
4. *En.* IV, 206.
5. *Il.* III, 251. — 6. *Aen.* XII, 496.

more quidem Romano ad Minervae templum *subvectae,* iisdem fere verbis quibus mulieres Trojanae Achilli, dira Aeneae imprecantur? Quid, quod Aeneas Italia potitus, Nymphas, ut Ulysses Ithacam reversus, precibus invocat[1]? Quid quod Tiberi gratias acturus, postquam more Romano dixit,

Tuque o Thybri, *tuo* genitor *cum flumine sancto,*

addit, repetita perpetua apud Homerum fluviorum laude :

Quocumque solo *pulcherrimus* exis,

quod idem valere ac « καλλίρροος » jam multi videre.

Quod ad Deorum interventum attinet, plura quidem Homero incognita in Aeneide inveniri non negaverim; aliquando enim ἐπιφανείας apparatus ad terrorem est compositus :

Haec ubi dicta dedit, coelo se protinus alto
Misit agens hiemem, nimbo succincta per auras[2].

Alias Dii luce circumdati prodeunt :

Pallas
Insedit nimbo effulgens et Gorgone saeva[3].

In discessu, ut alituum formae Dii valedixisse videntur, ita se aut incessu ipso aut ambrosio odore agnosci sinunt; quae omnia non tam Romanis propria sunt quam a communi poetarum usu ducta, certe ab Homero sunt diversa. At rursus quam multa non absimilia! Nunc ipse deus, nulli visus,

1. *Od.* XIII, 357 et *Aen.* VII, 137.
2. *Aen.* X, 634.
3. *Aen.* II, 615.

ne ipsi quidem quem alloquitur, voce tantum adesse intelligitur, ut quum Apollo nube sedens necdum in Buten conversus Ascanio virtutem gratulatur[1]. Nunc Dii, diffusa caligine qua visus et Homericorum et Virgilianorum pariter heroum hebetantur, ipsi apparent, ut quum armati Trojae moenia subruunt nunc vero, et id plerumque, aut Venus fit Tyria virgo aut Juno Beroe soror aut Apollo Butes, aut Juturna in aurigam Turni mutatur; quarum ἐπιφανειῶν exempla Homerica cuivis in promptu est recordari.

Sed ad alia jam pergendum est. Neminem fugit Homericos Deos in Olympo, in monte scilicet inter Thessaliam Macedoniamque sito habitare; Jovi autem in summo montis culmine, domum, regiae cuidam persimilem, esse, ceteris vero Diis suum cuique jugum, suam regiam fuisse assignatam. Quis non Homericum illum Olympum agnoscat quum Virgilius hoc modo sedem Deorum describit :

Panditur interea *domus omnipotentis Olympi*
Conciliumque vocat Divum pater atque hominum rex
Sideream in sedem[2]....
Considunt *tectis bipatentibus.*

Jam supra vidimus aliquando inter Homerum et Virgilium de humani animi et natura et fato convenire. Liceat quoque huc versum trahere :

Salvete recepti
Nequidquam cineres animaeque umbraeque paternae[3].

Ubi scholiastes « hominem in tria dividit, animam quae in coelum abit, umbram quae ad inferos, cor-

1. IX, 641. — 2. X, 1. — 3. V, 80.

pus quod traditur sepulturae». Quam explicationem vero proximam esse testatur subjectus versus,

Visa dehinc coelo facies delapsa parentis[1],

nisi tamen velis ipsum Anchisen, non tantum animam, quum de facie mentio fiat, in coelo commorari. At eodem fere modo Homerus hominem dividit, quum Herculem in inferis studio venandi indulgentem ostendit, dum ipse, αὐτός, in coelo Hebes conjugio fruitur[2].

Apud poetam utrumque morientes viri futura praesentire ac portendere dicuntur; quemadmodum Patroclus Hectorem, sic Orodes Mezentium ad mortem tergo quasi instantem respicere jubet. Quam opinionem toti antiquitati fuisse communem certe licet contendere[3]; attamen, quum Virgilius verba Homeri fere usurpet, quum Mezentius eadem prorsus quae Achilles minanti quoque Hectori respondeat, aperte videmus unde hanc doctrinam de morientium prudentia Virgilius sumpserit.

Aenean et viri et conditoris, qualem sibi animo fingerent Romani, speciem prae se ferre multi jam

1. *Aen.* V, 721.

2. Nec nos fugit versus Odysseae XI, 601-604, spurios quibusdam interpretibus videri. Legitur etiam apud Schol. B et Q (ἡ διπλῆ) ὅτι εἰς τρία διαιρεῖ, εἰς εἴδωλον, σῶμα, ψυχήν· τοῦτο δὲ οὐκ οἶδεν ὁ ποιήτης. Sed vero simile est Virgilium, dum Homericam antiquitatem studet referre, ad Homerum, qualis vulgi manibus tum terebatur, non qualem Alexandrini emendaverant, respicere. — Haec vero opinio relatorum inter Deos heroum simulacrum in inferis remanere, Homerica esse Servio quoque videbatur. Cf. Serv. ad VI, 134.

3. Cf. Friedreich, *Die Realien*, p. 145; Xenoph. *Cyrop.* VIII, 47.

ostenderunt; quippe qui et pietate et justitia et fortitudine, quas virtutes quasi sibi proprias Roma semper vindicavit[1], dicatur imprimis eminuisse. Nec tamen negari possit multa in eo heroicae indolis vestigia adhuc deprehendi, sive Virgilius talem de industria effinxerit, sive imprudens, quum Homerum tot in locis fuerit imitatus, virum quoque ad similitudinem Homerici herois adumbraverit. Romanum decebat ea quae acerba viderentur ita ferre ut nihil a statu naturae discederet. Hanc vero constantiam saepius in Aenea requiras quum lacrimas, si qua tempestas ingruat, continuo effundat; si naves incendio corripiantur, vestes abscindat. Ubi tum illa ducis moderatio, haec sapientia qui alias

Spem vultu simulat, premit alto corde dolorem[2]?

Scilicet Virgilius quid heroicae aetatis virum[3], non quid classis imperatorem ac regem deceat, servavisse videtur[4]. Miramur quoque Aenean ea de se

1. Ceterum et has virtutes in rege heroico plurimi aestimatas fuisse possit contendi. Cf. *Il.* XVI, 542, ubi de Sarpedone dicitur : ὃς Λυκίην εἴρυτο δίκῃσί τε καὶ σθένεϊ ᾧ.
2. *Aen.* I, 209.
3. Cf. Hom. *Il.* XV, 7; IX, 14, 433; XVI, 2; XVII, 642. *Od.* VIII, 83, 531.
4. Cf. Servium : « Et notant quidam quod damnum quattuor navium [vir fortis et rex] impatienter doleat ». Adeo hoc in loco videbatur Romanis Aeneas Romanam quasi indolem exuere; quem excusandum sibi sumit Servius : « Sed magis illud considerandum est quod ait supra Ascanius, *vestras spes uritis*, ut non damnum doleat, sed spem navigationis ereptam ». — Re vera, ut in primo per procellam Aeneas lacrimis non temperat, hic vestes abscindit, solito quodam apud heroas doloris impetu.

ipso praedicare quae aliis vel viri maximi praedicanda relinquere solent :

> Sum *pius* Aeneas, raptos qui ex hoste Penates
> Classe veho mecum, *fama super aethera notus*[1].

At quod insolens atque odiosum fit in Romano, heroici temporis viro paene convenit; neque enim apud Homerum se parcius ac moderatius heroes laudant; simplicitas illa est invidiam minime timentium, non arrogantia alios fastidientium.

Jam apud Homerum pietas Aeneae laudatur, sed ea pietas in Aeneide quasi e postscenio in pulpitum prodiit primasque partes sibi vindicavit; nec tamen aliquando frequens ille et diligentissimus Deorum cultor maledictis abstinet : habemus confitentem reum :

> Quem non incusavi amens hominumque deumque[2]?

Hic Aeneas viro Romano impositam personam exuit, ac fit rursus unus ex heroibus quos Homerus irascentes ac coelo ipsi succensentes interdum ostendit.

Eodem viro nemo mitior ac clementior videbitur, si memineris quo sermone legatos Latini excipiat :

> Pacem me exanimis et Martis sorte peremptis
> Oratis : equidem et vivis concedere vellem[3].

Atqui non multo ante hostias humanas mactari placuit; feritatem, jam ab ipso Homero vituperatam, sed ab heroici aevi moribus non abhorrentem agnoscis.

In praeliis vero Aeneas non ducis, qualem volu-

1. I, 378.
2. II, 745.
3. XI, 110.

mus esse, sed militis partes exsequitur; nempe ipse dimicat, magno turbine hastam torquet, lapides quibus sublevandis duodecim homines vix pares essent, manu tollit.

Quid quod, uno comite Achate, classem vix Africae appulsam relinquit ut loca exploret, quod ad suos alendos venatur, quod Ulyssis in Circes insulam ejecti personam induit? Idem in Palinuri locum neminem e nautis comitibusve sufficit; ipse rector subit :

Ipse ratem nocturnis rexit in undis[1].

In funeribus Miseni parandis operam ab eo quoque navatam videmus :

Nec non Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios paribusque accingitur armis[2].

Haec illa est heroum priorum simplicitas qui, nunc ipsi in silvis arbores manu caedunt, nunc prandium suum parant, nunc lectum fabricantur, omnia denique munia exsequuntur quae alii cujuslibet aetatis duces militibus imperare satis habent.

Ceteri vero Virgiliani heroes eamdem fere speciem exhibent; sive loquantur, sive rem gerant, credas te dicta aut facta jam ab Homero memorata iterum legere. Quod si quando nescio qua miseratione inusitata moveantur, rursus ad ingenium redeunt atque heroici aevi ferociam praestant. Turnum leniorem quam Achillis aequalem decet, lecto hoc versu, fortasse existimabis :

Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est
Largior[3].

1. *Aen.* V, 868. — 2. VI, 183. — 3. X, 493

Idem cum eodem viro, quem tum miseratur, manum conserturus, exclamaverat :

> Cuperem ipse parens spectator adesset[1] !

Quae vox, si cogitaveris juvenem belli rudem a viro spectatae virtutis ac peritiae ita increpari, nihil autem Evandrum adversus Turnum admisisse quod filii morte luere debeat, nescio an omni heroica crudelitate sit immitior. Didonem quoque, quum furit, eo videmus saevitiae quodam aestu abripi, ut Hecuba jecur Achillis malis conficere cupiens, non atrociora verba proferat :

> Non potui abreptum divellere corpus, et undis
> Spargere, non socios, non ipsum absumere ferro
> Ascanium patriisque epulandum apponere mensis[2].

Digna quidem femina quae Atrei ac Thyestae aevo, heroico scilicet, viveret!

Cetera quid commemorem? Non dedecet heroem Homericum fortium virorum nuptias orare[3]; apud Virgilium filiam Laviniam Aeneae nubendam Latinus ultro offert. Divitiae heroico tempore agris potissimum et pecudibus constabant ; Virgilius haec de Galeso :

> Quinque greges illi balantum, quina redibant
> Armenta, et terram centum vertebat aratris[4].

Pars divitiarum maxima in domo regia equi : tria millia Eresichton pascebat ; in Latini praesepibus ter centum adstabant. Existimabatur tum, quum Dii

1. X, 443.
2. IV, 600.
3. Cf. *Od.* VII, 312.
4. VII, 537, Cf. *Il.* V, 612 ; *Od.* XIV, v. 100.

equis uterentur, posse e divina stirpe equos in terra oriundos esse. Exempli causa Jupiter equos Laomedonti dederat quibus equas supponendas Anchises curavit; simili fraude jugales a Latino Aeneae dati ab equi solis originem ducebant[1]. Multi praecones apud Homerum; in Aeneide unus tantum Cloanthum victorem declarare dicitur; at si quis partes praeconis aut legati suscipit, vide quam sua mandata paene eisdem verbis quibus data fuerint, reddat, Homericos praecones in hoc imitatus[2].

In ludis vero ut quaedam praemia, lemniscatae scilicet coronae, et equi phaleris insignes et loricae hamis consertae et phrygiae chlamydes videntur minus ad antiquissimas consuetudines pertinere atque interdum seculi politioris artes atque delicias oculis legentium quasi subjicere, ita tripodes et crateres, et auri argentique talenta et serva « *operum haud ignara Minervae* » nobis heroicae vitae imaginem reddunt.

Quae, ut nusquam pura ac sincera, nulla alterius aetatis adjecta consuetudine, exsistit, tamen in ea carminis parte qua pugnae ac bella narrantur, ad veritatem rerum ac temporum subtilius expressa fuisse videtur. Jam primum si metalla quibus varia arma constant comparabis, miram quamdam similitudinem Aeneidos cum Iliade invenies. Etenim eruditi viri paene se compertum habere putant[3] primum homines armis aereis tantum usos fuisse, heroica jam aetate ferrum, sed raro et ad hastarum spicula

1. *Il.* XX, v. 219; *Il.* V, 265; *Aen.* VII, 275.
2. *Aen.* IV, 265.
3. Barthélemy, *Mém. de l'Académie.* — Rossignol, *Les métaux dans l'antiquité.*

potissimum conflanda adhibitum fuisse; postea vero in aeris locum ferrum omnino sucessisse. Virgilium autem evolventi brevi apparebit pleraque armorum aerea esse; thoraces ahenis horrent squamis: aere fulgent clypei et Mezentii et Maeonis et Cupenci et ipsius Aeneae; peltae aeratae micant; aerea est Mezentii galea; aeratam securim quatit Tarpeia. Artem tingendi aeris jam heroica aetate fuisse repertam nemo negaverit, etiamsi de hoc Homerus taceat; ergo nemo mirabitur quoque si apud Virgilium Cyclopes,

tingunt
Aera lacu [1].

Hoc vero imprimis notatu dignum quod et illa metalla heroica aetate pretiosissima Virgilius diligenter retinuerit; sic electro [2] et auro recocto ocreae Aeneae conflatae sunt; sic quoque in lorica Turni orichalcum est videre [3]; quod quidem metallum

1. VIII, 450.

2. Quid intellexerit Virgilius per *electrum aurumque recoctum*, hic locus Strabonis (III, p. 146) explanare potest. « Ἐκ δὲ τοῦ χρύσου ἑψομένου καὶ καθαιρομένου στρυπτηριώδει τινὶ γῇ τὸ κάθαρμα ἤλεκτρον εἶναι, πάλιν δὲ τούτου καθεψομένου μίγμα ἔχοντος ἀργύρου καὶ χρύσου, τὸν μὲν ἄργυρον ἀποκαίεσθαι, τὸν δὲ χρυσὸν ὑπομένειν ». Κατεψομένου mihi idem valere videtur ac recoctum aurum. Ergo ita statuendum : electrum apud Virgilium esse quamdam argenti et auri mixturam; aurum vero recoctum ab electro extractum coquendo fuisse.

3. *Aen.* XII, 87. Rossignol, *Les Métaux dans l'antiquité* : « Nul doute que le poëte latin ne rappelle ses devanciers et notamment l'auteur de l'hymne homérique à Vénus, en associant comme lui l'or et la substance *imaginée* pour rivaliser avec l'or ». Contendit enim Gallicus scriptor orichalcum nihil fuisse heroica etiam aetate nisi quoddam commenticium metallum.

nusquam in Iliade atque Odyssea, jam vero in hymnis Homericis occurrit.

Arma autem non semper hominum manu facta heroes apud Homerum gerere dicuntur, at ea quae, quum in officina divina fuerint conflata, miram vim et ad repellendos et ad inferendos ictus possident. Non committit Virgilius ut iis sui heroes careant. Nota sunt arma Aeneae Vulcania in quae si « *mortalis mucro* » impingitur, « *glacies ceu futilis* » dissilit[1]. Ipse Turnus gladio cingitur

> quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
> Fecerat et Stygia candentem tinxerat unda[2].

Hunc autem gladium incorruptum invictumque nisi omisisset Turnus sumere ac pro eo ferrum Metisci aurigae rapuisset, aequo Marte cum Aenea pugnaverat. Armorum vero quum maxima copia ac varietas sit in Aeneide, vides ea quae in septimo libro enumerantur ac populis Italicis maxime sunt propria, in libris ultimis, quos ad similitudinem Iliadis poeta scripserit, nusquam apparere; contra autem ea retineri, arcum scilicet et fundam et clypeum septemplicem et duas hastas, quae ab Homerico quasi armario videntur deprompta[3]. Ne sagittae quidem veneno infectae, quas Ismaro et Amyco[4] dat Virgilius ab heroica aetate alienae sunt quum venenum ad sagittas oblinendas Ulysses a patre Mentoris acceperit.

1. *Aen.* XII, v. 740.
2. XII, v. 90.
3. Cf. *Il.* III, 18; XII, 298; XXI, 145. *Od.* I, 257; XII, 228.
4. X, 140, 704.

Quod ad modum proeliandi attinet, eumdem apud poetam utrumque recte dixeris. Stant utrinque acies et hastis rem committunt; fortissimus quisque in prima exercitus fronte se agit; προμάχους qui dicuntur Maro quoque solet nomine signare :

> Protinus Antaeum et Lucam, prima agmina Turni
> Persequitur[1].

In medium prodeunt heroes et aliquem virum quaerunt quicum congrediantur; oratione longiore apud Homerum, apud Virgilium breviore pugnae proludunt; saepe ii qui in validiorem aliquem delapsos esse se sentiunt, mortem deprecantur; sunt quaedam, ut poeta eleganter ait, belli commercia[2]; victor spoliat hostem stratum, aliquando et contumeliose increpat, interdum etiam pede premit[3], corpus detruncat et caput abscisum currui suo affigit[4]. Nullum circum corpora certamen apud Virgilium, sed ut intelligas hoc genus pugnae non fuisse de industria a poeta omissum, audire potes Turnum jactitantem se corpus Pallantis Evandro libenter remissurum esse; adeo plerumque curabant ut hostis sepultura careret[5]; inde conjicere potes circum cadavera quoque saepius certatum fuisse. Jam armigeri, qui apud homerum θεράποντες dicuntur, heroibus dimicantibus in Aeneide quoque adsunt; quo munere funguntur, ut in Iliade, non tantum famuli, sed et fratres necessariive[6]. Ii autem armigeri et cum heroibus ami-

1. X, 561.
2. X, 532.
3. *Aen.* X, 495, 536.
4. *Ibid.*, XII, 511.
5. *Aen.* X, 491.
6. *Aen.* X, 328. *Il.* XI, 122.

citia juncti fuisse, aliquando una cum iis educati dicuntur, ut ille Mimas, Paridis aequalis comesque; interdum et arma heroum portant : « suggere tela mihi », Achati inquit Aeneas ; quae petenti extemplo suppeditat Achates. Inter proeliandum si duo viri componuntur [1], plane idem est qui apud Homerum, armorum adhibendorum ordo ; hasta primum res geritur ; deinde ad gladium venit ; tum demum exuti armis aut fugiunt aut lapides in manus sumunt. Ne certamina quidem de summo curru desunt quae adeo heroicae aetati sunt propria ut postea obsolevisse plane videantur. Bigae apud Homerum frequentiores ; apud Virgilium quadrijugae, sed non et illae poetae Graeco ignotae [2]. Ceterum si, Plinio teste [3], primus quadrijugas junxit Erichthonius, non est quod Virgilium in hac re ab heroicis temporibus deflexisse putes. In curru unoquoque stant duo viri, quorum alter equos habenis regit, alter hasta et clypeo instructus in se totam pugnae molem convertit ; interdum bellator descendit ut pedes cum pedite confligat. De forma currus multa apud Homerum, apud Virgilium nulla sunt; sed conjicere licet eam e postica parte patuisse quum scopulus in pectus Murani immissus virum

1. X, 768 ; XII, 710.

2. *Iliade*, VIII, 185. Hector equos adhortans quattuor nominat :

Ξάνθε τε καὶ σὺ, Πόδαργε, καὶ Αἴθων Λάμπε τε δῖε,

At versus hic genuinus Aristarcho ob hoc ipsum non videbatur quod quattuor sunt juncti. (Cf Hom. edit. Pierron, VIII, 185-197.) Cf. *Od.* XIII, 81 : ὥστ' ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι.

3. Plin. *N. H.* VII, 57.

solo effundat supinum [1]. Quod si acies altera in fugam fuerit conversa, receptum duces pectore opposito tutantur [2]. Nox vero apud poetam utrumque pugnam dirimit [3]. Ergo, quod ad mores et militiam pertinet, Sibylla non videtur erravisse, his verbis usa :

> Non Simois tibi nec Xanthus nec Dorica castra
> Defuerint,

nam bellum non alio modo apud Tiberinum et Numicum quo apud Xanthum et Simoenta geritur.

VIII

Quid ergo colligendum est?

Si res moresque in Aeneide descriptos cum iis quae de Augusti aevo historici tradiderunt, contuleris, plurimum interesse videbis; multa tamen Virgilius aut imprudens aut, ut potius videtur, de industria carmini inseruit quae ad aequalium et sensus et consuetudines pertinent. Si te non jam ad Augusti aetatem, sed ad usque tempora Italiae antiquissima referes, apparebit multa quoque sive ex annalibus Romanis, sive e sacris pontificum libris a poeta subtiliter fuisse excerpta atque, ut ita dicam, delibata, ita ut antiquitatis Italicae peritissimus a Romanis et

1. *Aen.* XII, 531.
2. *Aen.* XII, 614. *Il.* XV, 281, 285.
3. Cf. *Il.* XVIII, 241 ; II, 385; VII, 293; *Aen.* XI, 912.

a plerisque recentium interpretum jure habitus fuerit. Ea laus etiam tam late patet ut quo plura documenta ad illam antiquitatem spectantia nostri homines e tenebris ac situ eruunt, quo locupletior fit ac fidelior historicorum scientia, eo magis Virgiliana doctrina eluceat. Quam multa verba, quae a poeta versus ornandi causa tantum modo posita olim videbantur, nunc excussis veterum scriptis, perlectis, diligentius titulis, ipsa priscorum populorum lingua curiosius explicata, vasorum etiam quae quotidie effodiuntur picturis studiosius inspectis, ad veritatem temporum arbitramur fuisse accommodata? Quare si voluerimus Aeneidem legere planeque intelligere, non satis erit nos affectibus humanis moveri posse, sermonis elegantia delectari; oportet ut mores alienos quodammodo induamus, ut fiamus Romani, ac Romani non unius tantum aetatis doctrina instructi, sed suarum originum studiosiores; atque etiam eo majore scientia opus est quod lege carminis quadam cogente, poeta, ea quae ad mores spectant, non fuse neque copiose explicet, sed tantum perstringat, quod aequales admonere, non docere, voluerit, quod ipse operae vestigia, quam antiquitati investigandae impenderit, quasi consulto deleverit.

Nec tamen ad antiquitatem Italicam aut Romanam referenda sunt omnia; poetae enim materiam ex heroicis temporibus sumenti heroici mores non omnino negligendi erant. Hujus autem antiquitatis unde imaginem duceret aequalibus agnoscendam, auctoritas duplex: altera sincera ac genuina, quam Homeri poemata praestabant; altera poetica tantum et commenticia quam dabant

tum artificum opera, tum poetarum Graecorum Romanorumve carmina. Atque, ut vere dicam, non solebant antiqui antiquitatem hanc et illam secernere; exstiterat in mentibus quaedam heroici aevi imago, ad similitudinem non tantum morum qui in Homero describuntur, sed eorum etiam qui post Homerum heroico aevo assignati fuerunt, conformata. Hanc videtur eo libentius expressisse Virgilius quod, quum legentium praeoccupatis opinione animis nihil insoliti ita afferret, voluptati quoque, varietate ac copia rerum, lenocinabatur.

Unus autem operis color, qui maxime in carmine epico expetitur, aliquis fortasse requirat quomodo in Virgilio e rebus tam diverse petitis exsistere potuerit. Etenim si alia sumuntur ab Homero, a tragoediarum scriptoribus alia, haec a moribus Romanis novis antiquisve, ab Italicis illa, nonne habes aliquid monstro Horatiano persimile, quod spectatum admissis risum moveat? At non obliviscendum est non ita differre illas quas distinguimus antiquitates ut non multa praestent communia. Vix quidem risum tenemus, aut potius artificis simplicitatem miramur, si quis in tabula aut in vitro Judaeis Christum circumdantibus medii aevi habitum dederit; etenim cum temporum veritate mirabiliter pugnat ille cultus; miscentur quae inter se non conveniunt; odiosa quaedam aut ridicula, e multis rebus quae separatim intuentem delectare poterant, species exsistit. Quod vitium in Virgilium nullo modo poterat cadere; primum, si mores comparaveris, non toto coelo discrepant; deinde si quae minus bene ab aevo in aliud transferuntur, communibus rebus mixta, videntur et ipsa quodammodo fieri commu-

nia. Deinde, quum sciamus Romanos a Trojanis oriundos esse, Latinos vero cum Trojanis in unum coaluisse, non miramur si quas consuetudines posterorum jam a majoribus usurpatas reperimus. Quin etiam, nos juvat futurae arboris aut silvae quasi in semine naturam ac virtutes deprehendere.

Hoc igitur pro explorato habendum est, statum quemdam rerum in Virgilio describi, nec Romanum omnino nec Graecum, rursus nec Italicum nec heroicum, sed qui quasi medius inter Romanam illam magnitudinem et heroicam simplicitatem intersit. Quare, quum explosa fuerit eorum sententia qui omnia in Aeneide heroicae aetati consentanea praedicaverint, quum ne ii quidem probandi sint qui plura Romanis moribus, sed multo plura heroicis tribuisse Virgilium censuerint, iis quoque adversandum esse videtur qui statuant « Virgilium per Aeneidem non tantum in quibusdam, sed in omnibus a vero heroicorum temporum habitu recessisse, et posteriorem, id est, Romanarum harum rerum notionem observasse ». Quam Lerschii opinionem, quidam, fallente viri doctrina, nescio quo studio antiqua undique eruendi, occulta retegendi obcaecante, temere secuti sunt : « Constat, inquit Muffius[1], in Homeri carminibus vitae heroicae expressam imaginem, contra in Virgilii Aeneide et priscorum et recentium populi Romani morum effigiem esse relictam ». Melius certe ac verius qui disceptantibus interpres novissimus intervenit[2].

1. Muff, *Antiquitates Romanae in Virgilii Aeneide descriptae*, Hall. 1864, p. 2.

2. E. Benoist, *Œuvres de Virgile*, I, XLI : « Il ne faut pas admettre avec quelques érudits que Virgile a voulu, dans

Qua auctoritate freti contendimus nos quoque a Virgilio non tantum Romanos mores aut Italicos, sed homericos, etiam heroicos expressos fuisse.

son poëme, représenter dans tout le détail la vie des Romains; mais il est permis de dire que, par un effort de son génie, il a su, grâce à un art extraordinaire, créer un monde nouveau qui tient à la fois aux époques héroïques, à l'antique Italie, au siècle où il vivait. » — Eadem fere est Weidneri sententia (*Commentar*, p. 38) : Wie die epischen Dichter des Mittelalters vielfach in die klassischen oder germanischen Sagen die Sitten, Gebräuche, Ansichte des christlichen Ritterthums anfügten so verknüpft auch Virgil mit vollem Bewustsein Politik, Religion und Philosophie seiner Zeit mit dem *aüsseren und inneren Leben des Heroenthums*.

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum in Sorbona.
a. d. VIII id. mai. anno 1876.

H. WALLON.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis rector.
A. MOURIER.

INDEX LOCORUM AENEIDIS.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A

B

C

D

V

TABULA.

PARISIIS. — TYPIS LAHURE
Via dicta de Fleurus, 9.